
COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



TERTIAE DECAD. SVPPLEMENTVM III.

LIPSIAE, MDCCLXXXIIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.



I.

Médecine vétérinaire, par Mr. VITET, Doct. & Profeſſ. en Médécine, Tomes III. à Lyon chez les Freres Periſſe 1771. Tome I. p. 742. Tome II. pagg. 834. Tome III. pagg. 349. & l'analyſe des Auteurs ajuotée au Tome III. pagg. 269. ſans titre & tables.

h. e.

Medicina veterinaria, auctore Cl. VITET, Vol. I-III.

Eſt compendium hoc in tres diſtributum Tomos, quorum primus Anatomen et Phyſiologiam; ſecundus Pathologiam et Therapiam, tertius denique materiam medicam, eorumque, qui poſt VEGETII tempora artem medicam veterinariam ſcriptis ſuis illuſtrarunt, Auctorum breuem recenſionem tradit.

In priore tomo, cuius prima pars de externa conformatione, et tegumentis; altera de oſſibus; tertia de muſculis; quarta de digeſtionis negotio, partibusque ad hoc facientibus; quinta de circuitu ſanguinis, reſpiratione, ſecretione humorum, voce, partibus ad hasce actiones neceſſariis, aëris, ſanguinis, vrinae humorisque perſpirabilis indole et qualitate: ſexta de cerebro, medulla ſpinali, neruis, ſenſibusque externis; ſeptima tandem de generatione, partu, lactatione, partibus ad haec negotia pertinentibus et fetu; in ſpecie vero de regulis ab iis, qui bene formatos fetus obtinere cupiunt, obſervandis, agit. Prae ceteris haec notatu digniora nobis viſa ſunt.

p. 202. Neceſſe eſſe ad muſculi, (cuius tendines vaſis ſanguiferis et neruis, in boue et equo egregie conſpicuis, non deſtituantur; nec, quum non omnibus muſculis natura tendines tribuerit, partes mu-
p. 204. ſculi eſſentiales haberi poſſint; et cuius vim contractilem, aeque ac elaſticam, ad antagoniſmum
p. 200. requiri, ſatis liqueat,) ſtructuram intelligendam; vt
201. ſubtilius ad iniicienda vaſa neruosque fluidum, efficaciorque ad macerandas fibras ſubſtantia, nec non Leuwenhoekianis meliora microſcopia prius inveniantur; nec nos recentiorum, veteribus hac in re minus praeſtantiorum, more, aliquid fingamus,
p. 206. quod non vere viderimus: cauſam irritabilitatis, quae non niſi leuis muſculorum, fibris eorum nervoſis aliunde irritatis, facta contractio, adeoque contractionis illorum naturalis quaſi moderamen habenda, nondumque ſatis euicta ſit; non in glutine
p. 208. elementario, ſed potius in calore muſculorum naturali, neruos, eorumque fluidum longe adhuc poſt mortem agile tenente, poni, indeque ipſam nullo modo a ſenſilitate diſtingui, debere: ſanguinem arterioſum, quum, arteria muſculorum ligata aut ſecta, muſculorum contractio non deſinat ad motum muſcularem neutiquam eſſentiale quid eſſe; nullumque muſculum, corde excepto, in contractione pallere; incertum vero eſſe, vtrum muſculi contracti, an relaxati, volumen augeatur: inter varias de cauſa ruminationis ſententias illam optimam eſſe, qua, alimentis, in duobus prioribus ventriculis maceratis, volumine ſuo ipſis moleſtis, iſti ventriculi ad illa in oeſophagum repellenda incita-
p. 211. ri; ea vero huc propulſa propter faſciculi muſcaloſi margines, inter inferius oeſophagi anteriusque tertii ventriculi orificium ſiti, ſemicanalis efficientis, dimidiamque orificii oeſophagi partem ambientis contractionem, in priores hos ventriculos rela-
bi

bi non poſſe, ſed in os redire cogi; in eoque denuo diuiſa, vi eiusdem faſciculi, ſtatim in tertium ventriculum propelli, dicantur: attenuationem muci- p. 358.
laginoſae ſubſtantiae, quae ſola nutriat, et ex mucilagine, gummate, ſapone et ſaccharo conſtet, quatuor diuerſos habere gradus; ipſamque hanc ſubſtantiam, (quum eius principia in tertio gradu principiis corporis animalis quoad tenuitatem iam ſimilia facta fuerint,) in eodem ad nutritionem minus idoneam eſſe: falſo et arteriis et venis tribui p. 412.
quatuor tunicas (muſculoſam, glanduloſam, nervoſam et villoſam;) macerationem enim et diſſectionem duas tantum arteriarum venarumque tunicas demonſtrare; et in arteriis quidem alteram ex albis, elaſticis, partim circularibus, partim obliquis, (quas multa vaſa ſanguifera et nerui intercurrant) fibris; alteram ex tranſparentibus accurate ſibi inuicem impoſitis laminis compoſitam; in ve- p. 447.
nis autem alteram tranſparentem, ex laxis parumque elaſticis fibris conflatam; alteram, quoad internam faciem, priori arteriarum ſimilem, minus tamen elaſticam et contractilem, deprehendi: truncum ar- p. 413.
terioſum, cuius diameter minor ſit illo ramorum eius, aut pro cylindrico, aut ita pro conico tubo habendum eſſe, vt coni apex cor, baſis vero extremas corporis humani partes reſpiciat: miſſionem ſanguinis, legibus hydraulicis id demonſtrantibus, nullam eſſe, p. 487.
qua ſanguis reuellatur et deriuetur: maiorem par- p. 501.
ticularum in aëre contentarum copiam vnica inſpiratione a vaſis pulmonalibus, quam ſeptem vel octo inſpirationum interuallo a cutaneis, reſorberi: de neruorum cauis, fluidoque in his contento, omni p. 529.
iure adhuc eſſe dubitandum: ad generationis my- p. 664.
ſteria reuelanda vtique neceſſe eſſe, vt, quomodo in teſticulis ex ſanguine arteriarum ſpermaticarum humor ad ouum fecundandum ſolummodo idoneus

praeparetur, habeamus cognitum; (humorem enim in prostata et vesiculis seminalibus conten-
p. 697. tum, istum neutiquam obtinere finem,): falsam illam esse plurimorum opinionem, qua, arterias vmbilicales fetus cum vteri venis, venam vero illius vmbilicalem cum huius arteriis immediatam habere communionem, asseratur, quum materia in vasa vmbilicalia iniecta neutiquam in vterina vasa, sed potius ex arteriis vmbilicalibus in venam vmbilicalem transeat, cuius rami cum conicis illis; (in chorii externa facie conspicuis, succum nutritium, a vasis vteri sanguiferis in internam eius tunicam depositum, absorbentibus,) productionibus communionem habeant, adeoque succum nutritium ex ipsis accipiant, mediante suo trunco in corpus fetus ferant, in quo vlterius elaboratus, deferatur per arterias vmbilicales in amnii cauitatem, ex qua in ventriculos et intestina fetus, (ipsum tenuiorem, corporisque animalis indoli magis analogum, reddentia,) facillime transire possit.

Tom. II. Morborum, quorum indoles et curatio in secundo Tomo exponitur, alii externam laedunt superficiem, alii sunt febriles, alii inflammatorii, alii spasmodici, alii cum debilitate coniuncti, alii denique, quos Noster vocat, euacuatorii. Laeditur autem externa superficies volumine corporis, siue per vtramque plethoram, siue per seri, puris, pinguedinis, aërisue vel generalem, vel partialem abvndantiam, siue in specie per vrinae retentionem aucto; vel, (quod in marasmo tum generali, tum speciali, et prae ceteris, in mammarum exsiccatione, obuenit) imminuto variis, vel in mollibus partibus, vel in ossibus, obortis excrescentiis, ad quas etiam anchyloses referuntur; partium, v. gr. vaginae vteri, intestini recti; ossium, e sedibus suis dimotione; variis maculis, cum in oculo, teste cataracta;

racta; tum in toto corpore, teste ictero; tum etiam gangraenosis: inflammatione cum periculosa, velut in peste, (accuratius secundum diuersorum annorum epidemias descripta,) et variolis; tum leuiori variarum partium, vnitatisque solutione, cuius simplicioris exempla viperarum morsus, ossiumque fracturae; cum sanguinis profusione coniunctae, vulnera et hydrophobia; puris vel seri excretionem comitem habentis, vlcera, aphthae, caries, et carcinoma praebent. Febres in simplices pauciorum dierum; putridas cum simplices, tum inflammatorias, et lentas; omnes vero ex continuarum genere, diuiduntur. Ad inflammatorios morbos pertinent: vertigo, cephalalgia inflammatoria et contagiosa, peripneumonia simplex vel epidemica, tussis, membranae pituitariae narium, ventriculorum, intestinorum, hepatis, vesicae, et vteri, variis causis natae inflammationes. Ad spasmos cum continua rigiditate vniuersales tetanus, aut subito, aut a vulnere, aut a rheumatismo obortus; partiales podagricum malum, contractura, crampus, satyriasis et priapismus, et furor vterinus: ad spasmos vero cum motu inuoluntario coniunctos vniuersales epilepsia, tremores artuum et panniculi carnosi, variaeque ab oligochymia, repletione, peregrini fluidi in tracheam transitu, nerui vulnere, veneno, et vermibus ortae conuulsiones; partiales autem palpitatio, oscitatio, ructus, vomituritio, fames bouina vel canina, morbus, quo equi vel praesepe mordent, vel in aërem eructant, morbus marinus, et respiratio, sine febre, impedita, referuntur. Morborum cum debilitate coniunctorum alii in visum, olfactum, odoratum, gustum et appetitum cadunt; alii integumentorum sensilitatem, velut lepra porcorum, imminuunt; alii generationi aduersantur; alii paralytici, alii apoplectici habentur. Euacua-

torii morbi ii dicuntur, in quibus retinendi humores, velut ſaliua, perduntur; excernenda, vt humor perſpirabilis, feces, vrina, ſaliua, lac, calculi inteſtinales, ipſe fetus, vt et ſecundinae, aut aliud in vtero, vel in trachea, haerens corpuſculum, retinentur; alii, licet excrementitii, humores, velut lacrymae, vrina, feces, et ſemen, nimia copia peruerſeque excernuntur; ſanguis funditur, vel pus, aut puri ſimile quid potiſſimum copioſe per nares effluit, et in phthiſi inprimis multum periculi affert.

Quae morborum deſcriptio, ſecundum Cl. SAUVAGESII ſyſtema quam maxime ordinata, ita recte principiis medicinae rationalis reſpondet, vt cauſis occaſionalibus et praediſponentibus cuiuscunque morbi ratio medendi accurate accommodata ſit. Quae omnia fuſius recenſere, exemplisque illuſtrare quum impoſſibile ſit, ea tantum, quae Cl. Auctor de peſte refert, annotaſſe licebit.

p. 249. Huius autem morbi, omnium acutorum in-
p. 250. flammatoriorum grauiſſimi, quamcunque ſpeciem
p. 251. ab altera differre; ſigna cum externa, tum ea, quae non niſi diſſectione cadauerum pateant, aliis etiam inflammatoriis morbis competere, indolemque adeo, remediumque ipſi huic morbo ſpecifice quaſi contrarium, difficulter, vel plane nunquam, cogno-
p. 253. ſci poſſe contendit. Suadet igitur, vt tempore contagionis inſtante, iubente ita magiſtratu, omnia animalia a medico iurato examinentur; infecta ſtatim in ſtabula remotiora, in cacumine montium, vel ad ripas, ſita, praetereaque profundis foſſis, acutisque ſtipitibus munita, transferantur; vt in hisce ſtabulis ea, quae eodem tempore infecta fuerint, eodem etiam die, ſtatimque tum, cum infectionis ſigna in iis appareant, diſſecentur; (quo cognoſci poſſit vera morbi ſedes, quaenamque corporis pars primo fuerit loco laeſa; quo viſceribus diuerſorum

horum

horum animalium inter ſe comparatis, diuerſae eorundem affectiones internae detegi, indeque quadam probabili ratione colligi poſſit, quemnam in his interfectis animalibus morbus progreſſum, remedia adhibita effectum, habere potuerint:) vt in iisdem ſtabulis cum ea, quae vel morbi analogia, vel acrimoniae qualitas, vel etiam ſubiectorum conditiones indicare videantur; tum ea, quae indicationibus optime reſpondiſſe viſa ſunt, remedia, attente repetitisque vicibus tententur, diuerſaeque cum toti morbo, tum inprimis tumoribus peſtilentialibus medendi methodi accurate examinentur; vt denique (quum veram morbi cauſam ſenſibus acquirere vix poſſimus) ad diuerſas illas vel aëris, vel aquae, vel alimentorum, mutationes, motusque vitia, velut certa morbi principia, omni cura et diligentia attendatur.

Quibus praemiſſis quatuor diuerſas de cauſa et cura peſtis ſententias examinat, oſtenditque, ſententiam illam, qua materia quaedam ſingularis inflammatoria, ſolida deſtruendo, fluidaque coagulando, peſtem gignere dicatur, ideo, quod materia haec definiri nequeat, e probatione valde indigere; acida, quae a nonnullis fictam alcalinam acrimoniam compeſcere dicuntur, pariter ac ſalia media, neutiquam acrimoniam corrigere, ſed tantum per breue tempus fluidum nerueum excitare; alcalina et aromatica, v. gr. theriaca (monſtra quaſi phamaceutica) ſpiritum vini (ab initio vſque ad finem morbi vſurpari ſolitum), camphoram, et acetum vini theriacale; (inter quae camphora cum nitri duplo mixta, inflammationi vlteriori reſiſtendi, coctionemque materiae morboſae adiuuandi; cortex Peruuianus, (in putredine auertenda non tam egregius, vti dicunt,) vim humoris contagioſi infringendi, inprimisque epidemicas diarrhoeas ſiſtendi; radix gen-

p. 256.
p. 260.
p. 262.

gentianae cum extracto iuniperi et aequali parte nitri mixta, organa digestionis et circulationis egregie roborandi, specificeque putredinem sistendi; acetum vini (per se semper equis noxium) correctum vero aut radice gentianae, aut saluiae, vel rutae, vel absynthii herbis, in eodem solutis, vires solidorum, licet in nuperrimis Galliae epidemiis adhibitum nocuerit, excitandi, antisepticeque agendi facultatem habere dicuntur) acidae, quam nonnulli statuunt, pestis acrimoniae opposita, exiguam vel plane nullam in hoc morbo ferre vtilitatem; probabillimam eorum esse opinionem, qui pestilentiales morbos aut putridos, aut inflammatorios esse sentiunt, priorique speciei purgantia,
p. 257. (quorum vsu tamen semper symptomata vehemen-
p. 258. tiora redduntur,) et quae, (quum rarissime crisis morbi per primas vias eueniat,) vel prorsus non, vel leniora tantum, quale infusum foliorum sennae cum cremore tartari vel nitro mixtum (quod per anum iniici, magis proficuum;) adhibenda sint,
p. 265. et antiseptica: posteriori missionem sanguinis, ra-
p. 260. rissime vtilem, et temperantia, propter virium naturae vehementiorum moderamen laudabilia,
p. 259. diureticis et sialagogis, semper nociuis, diaphoreticisque, non nisi in fine morbi salutaribus, semper meliora, opponunt; inter omnia tandem in peste
p. 264. adhiberi solita remedia setacea, cum radice ellebori facta, vesicatoriis praestantiora, citiusque agentia; morbo vehementius agente semper in vicinia partis affectae, duoque loco vnius applicanda, summam
p. 260. mereri laudem; prae ceteris autem impuritatem humorum, ab immediata veneni pestiferi actione pendentem, solaque vi naturae, aut specifico, corrigendam, ab illa, quam solidorum debilitas produxerit, probe distinguendam esse.

Tunc

Tunc in methodos tumores peſtilentiales tra- p. 266.
ctandi inquirit, reprehenditque eos, qui primum p. 267.
ventoſas, gangraenam accelerantes; tunc ſcarificatione facta, vnguentum ſtyracis vel baſiliconis (ſuppurationem impediens) tumori applicant, et fuliginis ſplendentis vnciam dimidiam, in vitro aceti vini theriacalis, (remedium inflammationem adaugens) in os animalis ingerunt; tum et eos, qui tumore cultri tonſorii ope aperto, eius margines ſcarificant, eique poſtea cataplasma ex aceto vini, ſale ammoniaco, abſynthio et ruta paratum imponunt, hacque ratione inflammationem augent, purique peſſimo occaſionem praebent; deinde eos, qui tumorem vix natum ferro candente et cauſtico delent, quo facto et materia contagioſa et cauſticum ſanguini ſeſe immiſcere, indeque peſſimi effectus, ipſaque gangraena et mors enaſci ſoleant; nec p. 268.
minus eos, qui tumorem prius emolliendo, non niſi fluctuatione percepta, aperiunt; laudat e contra eos, qui tumorem ſtatim, tum, cum ad iuſtum peruenerit incrementum (quando hoc factum ſit, addiſcat Medicus, tractandum tumorem cum iis, quibus animalia perierunt, comparando) totum exſtirpant, vulneri cataplasma ex cantharidibus vel ellebori radice factum imponunt, et ſuppuratione abſoluta, vlcus vnguenti aegyptiaci auxilio depurare ſtudent. Cura peſtis cum in ea praecauenda, tum in eius praeſentis progreſſu impediendo ponitur. Praecauetur autem, ſi ſtabula ſatis alta et ampla, p. 269.
ſolo lapideo inſtructa, et, ne fluida intus ſtagnent, declinata, pauca tantum excipiant animalia; ſi ex aduerſo portae eorundem ſtabulorum, (quae ſemper, etiam frigidiſſimo hieme, aperiantur; et quocunque menſe bis, contagio autem praeſente pluribus vicibus per diem, aut ſaltem omni duorum dierum interuallo, mixtura ex partibus aequa-

libus

libus ſpiritus vini et aceti vini, (in vitro forti, ab iis tamen non integre replendo, claudendis) in cellis ſubterraneis per tres vel quatuor menſes cuſtodienda, tuncque primum adhibenda, etiam mane tempore contagionis ieiunis animalibus ad bibendum, duarum vel trium vnciarum quantitate, propinanda, (cui deficienti exigua ſulphuris aut aetheris vitriolici quantitas ſubſtitui poſſit) ſuffiantur; a quibus etiam fimus illiusque receptacula remoueantur; conica camini tuba, igne interdum calefacienda, applicetur; ſi animalia nec ad paſcua, morboſis plantis infecta et paludoſa, nec, (praeprimis boues) niſi rore diſſipato; (inprimis Iulio et Auguſto menſe) nec ad alia, niſi montium, et quae vel tenellis, vel aromaticis plantis gaudent, ſemperque prius, quam foenum colligatur, mittantur; ſi animalibus cum aqua pura, tum, hac deficiente, deſtillata, bonoque aceto vini et ſale marino, aut mixtura illa ex ſpiritu vini et aceto vini parata, (cuius vnciae quatuor vnciis ſex aquae addantur,) correcta; aeſtate et autumno parciſſima quantitate, et quidem ouibus ſemel, bouibus et equis ter per diem, porrigatur; ſi animalia calori non exponantur, calidaque tempeſtate in ſylvas, et ad veruacta, mittantur; ſi, auſtro per plures calidae aeſtatis dies flante, ſtabula frequentius fumigentur, equo et boui nonnulla vitra vini, plantarumque aromaticarum cum aceto vini paratum infuſum, propinetur; ſi tandem aëre ſicco et calido, animalia in ſtabulis e regione Septentrionis apertis retineantur, contagioque in vicinis terris graſſante, ſetacea pectori applicentur, os vino abſynthii vel chamomillae diluatur; et bolus ex nitro, camphora et melle factus ingeratur, nec animalia hyeme, bouibus tamen periculoſiori, licet terra niue tecta ſit, a paſcuis remoueantur.

Pro-

Progreſſus morbi facile arcetur ſana animalia p. 275.
ab aegrotis ſeparando; ad ſana non niſi mutatis veſtibus, corporeque aceti vini, cum abſynthio mixti, ope depurato, accedendo; foenum a ſtabulis aegrotorum remouendo; ſana animalia in ſtabulis, aëre puriori gaudentibus, et fumigatis, retinendo; nec ad pabula communia, nec niſi lota et pexa, mittendo; iis omni mane infuſum vinoſum abſynthii vel ſaluiae propinando; ſetacea pectori applicando; mortua denique animalia non comburendo, nec calce viua conſumendo, nec in vicinia ſtabulorum et paſcuorum diſſecando, ſed in profundis, terra argillacea, et maſſa ex calce et ſilicibus facta, tectis, foſſis, ſepeliendo.

Generalioribus his de peſte dictis ſubiungit tredecim diuerſarum epidemiarum hiſtoriam, earumque ſymptomatis, ac iis, quae in mortuorum cadaveribus reperta ſunt, indicatis, methodum ipſis medendi adhibitam examinat et diiudicat. In quarum prima, anno huius ſeculi vndecimo, (cuius hyems p. 279.
frigidiſſimus, ver pluuioſum, quotidianisque caloris et frigoris viciſſitudinibus varium; aeſtas calidiſſima, inſignique ſerpentum et reptilium copia, menſe Iunio et Iulio, animalibus funeſta fuit) boues p. 278
Hungariae inferioris infeſtante, ibique puſtulis cutaneis albis foetidis, humore cadaueroſo ex ore effluente, reſpiratione impedita, mugitu ſenſim fortiori et continuo, ſono, tunicarum inteſtinalium nimis diſtentarum quaſi diſrumpentium, in moribundis percepto; tumoribus, nucis iuglandis magnitudine, pilorum plenis, tunicaque membranacea ita denſa, vt vix diſcindi potuerit, incluſis, poſt mortem in ventriculis repertis; canibus carnem infectorum vorando rabidis factis; ipſisque ab his morſis hominibus phrenitide et hydrophobia affectis, canumque latratum imitantibus; manifeſta:

(inde

inde ad Germaniam et Italiam translata, et per saliuam caustici instar fauces, ventriculos, et intestina afficientem, hasce partes, vt et omentum, linguamque vesiculis rubris plenam, inflammantem, neruisque inprimis infestam, se communicante, seque appetitu prostrato, excrementisque purulentis, foetidis, sanguinolentis, manifestante;) a variolis, quum sese multo celerius finiuerit, pustulaeque, saepe primo iam morbi die, materia albida et foetida repletae fuerint, admodum diuersa. Quaenam adhibita fuerint remedia, nemo Auctorum tradidit; adhibenda fuisse putat setacea copiosa pecto-
p. 280. ri, humeris et femoribus applicata, acida vegetabilia, bolos ex camphora et nitro, aquam nitrosam, clysmata ex aqua, aceto vini et melle, suffimigia supra laudata, primis diebus: tertio et quarto autem praeter dicta clysmata et suffitus, quocunque mane et vesperi, duas libras vini absynthii.

In secunda, anno huius seculi duodecimo, primum equis, tunc bouibus, aliisque animalibus Augsburgensis territorii, (paucissimis ipsius vrbis) tumoribus duris, late se expandentibus, statimque lethiferis, in ano, pectore, aliisque partibus enatis, quorum causa, crabronum singulari crassitie, valde numerosorum, et in boum praecedenti anno correptorum cadaueribus obortorum, punctura esse dicebatur, molesta: acidula, velut cremor tartari cum absynthii, vel acetum vini cum rutae infuso mixtum, equis in specie clysmata et potiones nitrosas camphoratas, atque laudata suffimigia cum camphora facta, ad virus corrigendum; citissimam tumorum exstirpationem, vulneri inde nato cataplasma ex foliis rutae applicatum, lotiones totius corporis cum infuso absynthii vinoso, et setacea, ad funestos tumorum effectus praecauendos; profutura fuisse, iudicat.

In

In tertia, anno huius feculi decimo tertio inter Italiae, Romanique territorii boues, (quorum nonnulli, vt fubito perterriti, mugientes aufugerunt; alii, velut fulmine tacti, ceciderunt, plurimi triftes, languidi, illacrymantes, per nares et os mucum et faliuam eiecerunt; primum multum biberunt; tunc omnia refpuerunt, vomituritionibus, foetidis fanguinolentis diarrhoeis, horripilationibus, febre, fpiritu foetido, et tuffi, vitam finiente, affecti fuerunt; pauciffimi, iique tantum, quibus pili de- p. 282.
ciderunt, cutis afpera facta, et quorum morbus vltra feptimanam primam protractus, immunes manferunt) faeuiente; iunioribus, obefis, fugentibus, (vti et quarto, quinto, fexto et decimo loco defcriptae epidemiae) magis, quam fenioribus, marcidis, lactantibusque, quarum mammae vlceribus afficiebantur, funefta; diffectione cadauerum, nil certi demonftrante, minime illuftranda, nil nifi p. 283.
infectorum interfectionem, a LANCISIO iuffam, aliquid iuuiffe, tradit.

In quarta, anno huius feculi trigefimo, inter boues, quorum, triftitia et tremore affectorum, appetitus proftratus, excretio alui primis duobus diebus regularis, tertio autem die in diarrhoeam vehementiffimam excretis aquae, qua caro abluitur, fimillimis) imo in plurimis in dyfenteriam, cum foetore, (illo dyfenteriae, boues Viuarienfes aliquot annis poft corripientis, longe grauiori) coniunctam, femper lethife- p. 284.
ras, mutata; duo priores ventriculi exficcatis alimentis repleti, eorum, vti et inteftinorum, tunicae interiores inflammatae, maculisque gangraenofis infignes, repertae fuerunt; graffante, lac confumente, abortum gignente, et animalia haec tertio quartoue die enecante; vlcera in ore enata femper bonum prae- p. 285.
buiffe fignum, indeque etiam multum opis tuliffe fialagogum ex fulphure, allio, fale, faluiae herba,

et

et iuniperi baccis paratum, et ori, aut ſpongiae, aut ſacculi per filum ſuſtinendi, neutiquam manus ope infrictum; ſero lactis cum plantis emollientibus cocto, camphoraque in ſpiritu vini ſoluta, in forma potionum et clyſmatum, inſuper adhibitis; praeſtantioris autem vſus fuiſſe ſetacea. corticemque Peruuianum, pondere vnciarum duarum vel trium, in decem vel duodecim libris infuſi plantarum aromaticarum ſolutum, et in potionibus vel clyſmatis propinatum, arte tamen pauciora animalia, plura ſola vi naturae conualuiſſe, oſtendit.

p. 286. In quinta, anno huius ſeculi trigeſimo primo, in vrbis Gannae, Generalitati Molinenſi ſubiectae, parochiis, (nulla cognita communicatione praegreſſa) vno eodemque tempore primum boues, tunc equos aggrediente, ſolisque veſicis ad latera et baſin linguae, primum albo, tum rubro, tandem nigerrimo colore, mox in vlcus cancroſum, linguam corrodens, tranſeuntibus, conſpicuis, manifeſta; et vix vigeſima quarta morbi hora audita, mortem inferente; indeque periculoſiſſima; linguam quotidie bis vel ter diſquirendo, veſicas perceptas argentei inſtrumenti ope premendo, earum cute eleuata, ipſas ad copioſum vſque ſanguinis fluxum ſcarificando, vulnus fortiſſimo aceto vini, in quo ſal, piper, allium, forteſque herbae ſolutae fuerint, lauando, vitriolo coeruleo fricando, ſubtiliſſimoque ſale obtegendo, iſtamque cum ſcarificationem, tum vulneris tractationem, etiam in vlceribus iam formatis curandis adhibitam, quotidie bis vel ter repetendo; tantam fuiſſe paratam vtilitatem, vt animalia quarto vel quinto die iam iterum ſana facta fuerint, tradit: cenſet tamen veſicae vel vlceris radicalem exſtirpationem, vulneris, mediante ſale marino et aceto vini, in quo tabaci et rutae folia ſoluta fuerint, elotionem, praeſtantiorem.

In

In ſexta anno huius ſeculi quadrageſimo bouibus infeſta, in quibus triſtitia et languor, frequentiores et irregulares horrores, motus ſpinae conuulſiuus, reſpiratio difficiiis, copioſa tenacis ſaliuae per os et nares excretio, conſumtio lactis, tuſſis frequens, aures et cornua frigida, oculi inflammati et illacrymantes, excretiones alui primis diebus parum ſanguinolentae, tum copioſiores. liquidiores, et interdum nonniſi cum teneſmo factae, inprimis cutis, muſculos in renum regione tegens, deſquamationi obnoxia, a muſculisque facile ſeparanda; ſumma morbi praebuere ſigna: quorum p. 288.
primus ventriculus, licet animalia octo ante diebus nil deuorauerint, multis tamen adhuc, tertius induratis, globulisque, quos *Lohkuchen* Germani vocant, ſimillimis alimentis plenus, quartus purpuraceo violaceis maculis, et pure, inſignis; huius interior tunica facile ab reliquis ſeparanda, inteſtina gangraenoſa, vti et pulmo, in quo hydatides; hepar nigris maculis ſcatens, cerebrum inflammatum, veſicula fellea bile fluidiori, obſcureque viridi, plena, papillae liuidis et purpuraceis maculis deturpatae, poſt mortem reperiebantur; funeſta, cutis dorſalis deſquamationem, puſtulas in papilla, p. 289.
collo, prope ſetacea et in lingua, copioſe obortas, et aceto vini cum ſale communi mixto abluendas; pilos firmiores factos, lactis ſecretionem, excrementa magis conſiſtentia, felicis fuiſſe exitus ſigna: vnicam venaeſectionem, potionem ex aqua ſimplici, p. 288.
ſetacea, vnguentumque ex Meloë maiali vel cantharidibus illitum, maſticatoria ex ſale, pipere longo, melle, et allio parata, nariumque et auris poſterioris, ope aceti vini aromatici factam frictionem, pariter ac ſuffimigia ex plantis aromaticis, fuiſſe adhibita; loco nutrimenti vero, vti in quacunque epidemia obſeruari debeat, herbas recentes, farinam ſecalis, furfuresque.

p. 289. In ſeptima, annis huius ſeculi quadrageſimo quarto, quinto et ſexto, inter Hollandiae boues graſſante, haec notauit: boum totum corpus intremuit, pili horridi, cornua et aures frigidae, ex oculis inflammatis lacrymae, ex naribus, interdum etiam naturali an-
p. 290. guſtioribus, pus, et ex ore copioſa, linguam ſaepius ſiccam interdum obducens, et ante mortem, quarto vel ſexto morbi die contingentem, ſanguinolenta ac putrida ſaliua effluxerunt, gingiuae inflammatae, et varicibus, aphthis, liuidisque puſtulis plenae; in ano, pectore, medioque colli bubones cum inflammatione; crura, potiſſimum poſteriora, immobilia, corpus non ſuſtinentia, et ſenſillima; pulſus fortis et frequens; reſpiratio ſecundo vel tertio morbi die difficilis, excrementa primum dura et nigra, tum liquida et putrida, lac breui ante mortem male olens,
p. 291. acre, et ex albo luteum: contextus cellularis, meſenterium, ventriculi, pulmo, pectoris, cerebrique membrana, gangraenoſa, inteſtina tenuia, aëre diſtenta, craſſa, flaccida et collapſa; lien et hepar nigro colore et foetidum, muſculi tandem ex fuſco nigri, reperiebantur: venam iugularem non primo ſolum, ſed et (quod tamen minus recte) ſecundo die ſectam; animali obſtructo, vel duras et nigras feces excernenti, dimidiam olei lini libram vno hauſtu exhibitam, et clysma ex duabus eiusdem olei libris, ſalisque marini in aceto vini ſoluti vna vncia, paratum (cui, quum oleum, acetumque vini ſe aegerrime commiſceant, Noſter aliud ex radicis althaeae décocto, addito cremore tartari, vel partibus aequalibus aceti vini et aquae ſalis communis, factum praefert,) applicatum; pulueris ex libra vna cre-
p. 292. moris tartari, libra vna nitri depurati, vnciisque duabus camphorae, facti, vnciam dimidiam omni trihorio in aqua vel ſero lactis; ſi vehementior autem fuerit calor, febris, difficultas reſpirandi, et

agry-

agrypnia, vna hora cum dimidia poſt pulueris vſum praelapſa, potionis ex ſex libris aceti vini, totidemque mellis, dimidia nitri depurati, et vncia dimidia acidi vitriolici, per quartam horae partem ſubiectis, paratae (ad tunicas ventriculorum, quum ex acidi vitriolici et nitri mixtione acidum nitroſum, pariter, ac reliqua acida mineralia bouibus, ouibus, et inprimis equis, noxium, oriatur, irritandas magis, quam ad acre temperandum, et febrim compeſcendam, idonea;) duo cochlearia fuiſſe propinata: ſuffeciſſe autem acetum vini cum melle mixtum ad linguam et gingiuas abluendas; interne medicamentum ex aceti vini et ſpiritus vini partibus aequalibus cum nitro mixtis paratum; et ad ventris fluxus ſiſtendos furfures et farinam in permagna ſeri lactis quantitate ſolutam.

Octaua, anno huius ſeculi quadrageſimo quinto p. 293. inter Viuarienſes boues ſaeuiens, manifeſta erat appetitu proſtrato, ruminationis defectu, puris ſanguinolenti, vel lacrymarum purulentarum, per nares et os copioſo effluxu, copioſa fecum antea duriorum et nigrarum, tum liquidiorum, obſcure viridium, foetida- p. 294 rum, et quinto vel ſexto die ſanguinolentarum, craſſaque bullulas aëreas formante oleoſa cruſta obtectarum, excretione, altero vel tertio die apparente, plurimosque eodem die interficiente, ſymptomatis ſemper prima ſeptimana mortem inferentibus; cutis oris pilorumque dorſi, ſeſe ſucceſſiue attollentium, deſquamatione, puris ad pectus vel crura facta metaſtaſi, et (quoad boues inferioris Viuariae,) totius ſpinae dorſi extrema ſenſilitate, exiguoque emphyſemate vel ad lumbos, non longe a vertebris, vel rarius ad femora partesque genitales enato; ſymptomatis, praeter capitis erectionem, appetitum redeuntem, parcum potus deſiderium, morbique ad alteram ſeptimanam vſ-

que protractionem, felicem morbi exitum praesa-
p. 293. gientibus; praeterea horrore totius corporis et cru-
rum, respiratione praesertim tertio die impedita, cor-
de in vno temporis minuto nonaginta, vel quadragin-
ta et quinque vicibus pulsante, quum in sano statu
tantum triginta et octo, vel tringinta et sex vicibus
p. 295. pulsauerit. Mortuorum primus ventriculus mul-
ta materia sicca liuida, et foetida; tertius adhuc
magis sicca, magisque nigra, repleti; huius ven-
triculi villosa tunica absque vllis gangraenosis macu-
lis liuida; illa autem quarti rosea, leniter inflammata;
illa coeci et coli gangraenosis maculis obsita: per to-
tum intestinorum tractum liquida ex nigro viride-
scentia; vesicula fellea naturali duplo vel triplo cras-
sior, bilis cystica magis fusca, pulmo quam maxime af-
fectus, et ita aëre (cui inter lobulos contento coeru-
leus retis illius vasorum crassi super pulmones ex-
pansi, a SAUVAGESIO reperti, color forsan tribuen-
dus sit) turgidus, vt totam pectoris cauitatem in mor-
tuis occupauerit, reperiebantur: medici Monspeli-
enses, (in consilium ducti, methodumque Alesiano-
p. 296. rum sana ab aegrotis separantium, omni modo puri-
tati prospicientium, aegrotis venam iugularem secan-
tium, iis tunc aloës extractum, vel bryoniae radicem
cum succo prunorum ad euacuandas primas vias, et
sequenti die praeter calidissimum regimen, theriacae
vnciam vnam, aliaque aromatica, ad diaphoresin
excitandam, propinantium, tandemque setacea
applicantium, sequuti:) iusserunt, vt aegrotis pri-
mo die theriacae vncia vna in vini rubri libra vna
soluta exhibeatur; altero die vena secetur; tertio,
purgante cum carminatiuo commixto dato, excre-
mentisque alui depositionem molientium effossis,
clysma ex decocto maluae seu furfurum paratum
applicetur; in diarrhoea theriacae recentis vel
diascordii vncia vna in decocto baccarum iuni-
peri

peri ſoluta, (medicamentum omni biduo repeten-
dum, cui eodem, quo non adhibetur, die, aliud ex p. 297.
teſtis oſtraceis ſubſtitui debet,) porrigatur; ptya-
liſmus baculo ori immiſſo promoueatur; coryza
puluere tabaci vel ellebori albi excitetur; vermes
in oculis conſpicui ſale aſpergantur; emphyſema-
tis inciſis oleum aliquantum calidum infundatur;
et ad reſpirationem faciliorem reddendam aqua fur-
furum, in qua florum ſulphuris vncia vna ſoluta,
et cui aceti vini, cum aquae allii et ſaluiae quinque
vel ſex libris mixta, portio addita fuerit, propi-
netur.

Nonae, anno huius ſeculi ſexageſimo bouibus,
et inprimis equis, Heluetiae paludoſae fatalis,
et animalia ſaepe quarto die interficientis, ſympto-
mata prima erant ſubita virium proſtratio, ſum-
ma triſtitia, tremores, reſpiratio frequens et diffici-
lis, cutis arida et ſicca. In progreſſu morbi obſer-
vanda, tuſſis frequens, foetidiſſimae ex ore exhala-
tiones, conuulſiones lumborum, pulſus fortis, ſicci-
tas linguae et palati nigricantis, ſitis vehemens, ap-
petitus proſtratus, defectus ruminationis, excre-
tio foecum, primum durarum et nigrarum, tum li-
quidiorum et ſanguinolentarum, vrina rubra, et
cum difficultate, parcaque quantitate excreta; et
inprimis aut tumores inflammatorii, ad pectus,
abdomen, vertebras colli, mammas, vel partes ge-
nitales enati, aut puſtulae per totam cutim, illis
ſcabiei et furunculorum ſimiles; funeſtiſſima, re- p. 298.
tentio vrinae, diarrhoea vel dyſenteria, tumor ven-
tris, tremores conuulſiui, lipothymiae, et mugitus;
indicantia proſperum (die ſeptimo certo exſpectan-
dum, licet animalia primum die decimo quarto
conualuerint) morbi exitum, vrina turbida, al-
bum deponens ſedimentum, excretio alui copio-
ſior, liquidior, nec male olens, ſitis extincta, appe-

titus rediens, ruminatio reſtituta, oedema crurum, elapſus pilorum, cutis humida et laxa, puſtulae al-
p. 299. biſſimo pure plenae, fuerunt. In cadaueribus hac epidemia correptorum reperiebantur tumores nigri, ſeſero, cum acido efferueſcente, et liuido, pleni; muſculi liuidi coloris, facileque diſſoluendi; pulmones (praeſertim eorum, quae quarto die mortua ſunt,) exſiccati, tuberculis et abſceſſibus paruis obſiti; maculae rubrae, mucusque tenax in ventriculis et inteſtinis. Cl. REGNIERIVS ad inflammationem et gangraenam tollendam et praecauendam, ſuffimigiis et ſetaceis non neglectis, aqua ſimplici, ſero lactis, ſucco lactucae, et ſedi minoris, decocto hordei, furfurum, ſeminum cucumeris et cucurbitae; malo autem vrgente, nitro, aceto vini, cum ſufficiente mellis quantitate, et decocto maluae vel parietariae, mixto, in potionum et clysmatum forma: in dyſenteria vel diarrhoea, minori aceti vini doſi, ſed potius vnciis duabus pulueris corticis Peruuiani, vel quatuor corticis fraxini, in ſero lactis ſolutis, (quorum corticum puluerem, cum acidis et camphora mixtum et in potionibus ſolutum, ipſo ſimplici decocto praeſtantiorem eſſe iudicat)
p. 300. vſus eſt: tumores inflammatorios autem, ne gangraenoſi fierent, cultro tonſorio aperuit, ipſorum margines ſcarificauit, ipſis cataplasma ex abſynthio, ſaluia, ruta, et ſale ammoniaco, cum vino paratum applicuit, vlcusque vnguento aegyptiaco depurauit: cui methodo tamen Noſter laudatam exſtirpationem praefert.

Decima, anno huius ſeculi ſexageſimo primo boues, oues et equos ſimul infeſtans, ſeque in plurimis per gangraenam faucium, in aliis per dyſenteriam, in aliis per alui obſtructionem, et tympaniten, in aliis per apoplexiam funeſte finiens, ſolidorum nutrimentorum auerſatione, potus magno deſide-

desiderio, difficili respiratione lactis defectu, oculis tristibus et turbidis, lingua nigra et sicca, salivae mucique plus minusque foetidi continuo ex naribus et ore effluxu, vlcere a naribus ad fauces vsque continuo, abscessibus in cerebro, pulmone, p. 301.
hepate, ventriculis, mesenterio, deprehensis, multisque vermibus in vlceribus narium et oris detectis, se declarauit. Quos vermiculos, austro per vernale pluuiosum tempus in Germania flante, morbo occasionem praebuisse putauit Ill. PLENCIZ, ideoque etiam, (collegis suis licet contradicenti- p. 302.
bus, et, vt os naresque infuso absynthii lauentur, propinenturque, praeter suffitus ex cinnabari, quocunque die bis potiones et clysmata ex fuligine et sero lactis suadentibus;) bolum ex quadraginta et octo p. 301.
granis mercurii dulcis, dimidiaque drachma camphorae, ope vini, confectum, quocunque die bis, symptomatis remittentibus, tantum semel, et aquam simplicem, in qua mercurius dulcis, (mercurio sublimato corrosiuo, in spiritu frumenti soluto, etiam adhibito, praestantior) ebulliuerit; ad aluum vero aperiendam solum prunorum decoctum in p. 302.
potionis et clysmatis forma exhibuit.

Vndecima, qua anno huius seculi sexagesimo secundo multi boum in Daniae regno periere, stipata erat symptomatis sequentibus: horrore nimirum vniuersali, calore, praesertim nuchae, tussi, oculis humidis et languidis, solidi alimenti auersatione, potus, (partibus licet inflammatis, tamen deglutiti) desiderio, puris foetidi per nares et os effluxu, obstructione, vel interdum excretione alui liquidiori, duarum postre- p. 303.
marum caudae articulationum breui ante mortem, (sexto vel septimo die insequentem) facta emollitione, pure foetido sub harum cute latente, indeque antrorsum ad cornua vsque, pariter ac aures et nares, frigida, proserpente. In hac sanguis

e vena, nunquam ſine noxa ſecta, miſſus, rubellus,
cruſtaque denſa obductus, venae ſanguine nigro
plenae, cerebrum prorſus diſſolutum, ventriculi et
inteſtina vermibus viuis, maculis nigris, et alimen-
tis ſiccis, repleta; in hepate et ſplene tumores
perduri, veſicula fellea admodum magna, bilemque
vrinae ſimillimam continens, deprehendebantur,
nonnullaque cadauera nullum morbi et mortis
ſignum praebebant. Societas regia agricultu-
rae Pariſienſis, in conſilium vocata, curationem eius-
dem non patefecit, quae ita forte, Noſtro cenſente,
facienda fuiſſet, vt partim aqua ſimplex nitroſa, cam-
phora cum nitro et melle, mel in aqua multa ſolutum,
p. 304. cum aceto vini mixtum, ſerum lactis, lactucae ſuccus,
vel decoctum hordei in potionibus et clysmatis, ad
inflammationem ſiſtendam; partim potio, ex fuligi-
nis vncia vna et libra dimidia infuſi abſynthii parata,
quocunque die bis, ſetacea, caudaeque, fortis infuſi
abſynthii vel rutae, aceto vini et ſale ammoniaco
ſaturati, ope factae lotiones, ad enecandos vermes,
gangraenamque auertendam; partim etiam infu-
ſum vinoſum abſynthii vel rutae, ad vires naturae,
quinto vel ſexto die virus expellere molientes, au-
gendas, exhiberetur.

In animalibus, duodecima epidemia, quae fre-
quentius in Breſſia et Delphinatu ſaeuierit, et in fine
anni huius ſeculi ſexageſimi ſecundi magnam fe-
cerit boum, parciſſimam equorum, ſtragem, affe-
ctis, pulſum non adeo frequentem, caput et aures
pendulas, pilos ſplendore ſuo deſtitutos, oculos il-
lacrymantes, humoris ſpumoſi ex ore et naribus
effluxum, regionis mandibularum et colli doloro-
ſam inflationem, alimenti et potus nauſeam, alui
obſtructionem: tumores inflammatorios carboni-
bus ſimiles, (proſperum morbi exitum denotantes;)
ſecundo vel tertio die, conuulſiones lumborum,
ſummam-

ſummamque debilitatem (ſigna proximae mortis;) fauces, laryngem, tracheam, et oeſophagum, coloris liuidi, et inflammatum; ventriculum primum alimentis plenum, ſplenem tumentem, omentum affectum, pulmonemque obſtructum, animaduerterunt obſeruatores: in curanda vero hac epidemia Cl. BOURGELATIUS, ſanis (ab aegrotis ſeparatis, ſoli non expoſitis, ad pabula, rore tantum abſente, miſſis, ſuffitisque mixtura ex baccis iuniperi et lauri in aceto vini maceratis, parata, et igni ad euaporandum ſubiecta,) venam iugularem ſecando, quae venae ſectio in ſola hac epidemia profuerit, locoque potus ordinarii aquam, cum aceto vini mixtam, propinando; infectis vero ſemel tantum venam incidendo, decoctum furfurum, cum nitri et aceti vini maiori minoriue quantitate mixtum, et in clyſmatis, quocunque die bis adhibiti, forma decoctum maluae et parietariae, in quo p. 306.
nitri vncia vna ſoluta fuerit, exhibendo; per os et nares vero decoctum plantaginis, rubi, et agrimoniae, vel vaporem infuſi plantarum aromaticarum cum pauxillo aceti vini mixti (quibus citius tamen agant alcalina volatilia) iniiciendo; tumorum ſuppurationem cataplaſmatis emollientibus adiuvando, ipſos fluctuatione percepta, aut ſcalpelli, aut globuli ignei ope, aperiendo, tuncque, vt vlcera, tractando (quam methodum Noſter, vti iam diximus, reprehendit) magnam ſibi comparauit laudem.

In decima tertia epidemia, quae multa anima- p. 307.
lia in regione Brouagii, Generalitati Rupellenſi ſubiecta, interfecerit, et qua affecta animalia triſtia, capite et auribus pendulis, frigidisque, pilis horridis, ventre tenſo et pleno, ingreſſa fuerint, alimenta reſpuerint, non ruminauerint, clariſſimam vrinam frequentiori niſu, tenuemque mucum per os

et

et nares, excreuerint, aluo obſtructa laborauerint,
interdum tranquilla, interdum ſuffocata, vel ge-
mentia, vel tuſſientia, vel extremitates et caput con-
vulſione leni erigentia, interdum ſubito, non antea
morboſe affecta, iugum trahentia, mortua ſint; et
quae diſſectione cadauerum, plurimorum boum et
ouium ventriculos (inprimis primum) herbis plus
minusque duris plenos, et inteſtina inflammata, de-
monſtrante, illuſtrari non potuerit; horrores et
tremores corporis ſemper funeſtos fuiſſe; tumo-
res in cutis ſuperficie obortos, modo fixos, modo
vagos, (propter tunicarum et contextus celluloſi
p. 308. eorum ſimilitudinem, facilem in gangraenam pro-
cliuitatem, humorisque ſanioſi ante ipſorum ſuppu-
rationem et gangraenam effluxum, cum carboni-
bus comparandos) euaneſcentes, inſenſiles, flacci-
dosque, ſerum emittentes, et in regione pectoris
equorum, narium, oris et ani boum, obortos, mortis
proximae ſigna: copioſos autem, ſenſiles, egregie
ſuppurantes, et in regione pectoris boum conſpi-
cuos, ſpem ſanitatis recuperandae praebuiſſe: Cl.
NICOLAVM, (cauſam peſtis in paludum foetidis
exhalationibus, aeſtate copioſis, ponentem) Cel.
p. 309. BOURGELATII conſilio, variis, et ſulphureis ſuffi-
tibus, fanorum ab aegrotis ſeparatione, profunda
cadauerum ſepultura, corruptorum alimentorum
remotione, aëris; aceto vini, vel aqua riparum,
aquarum impuritates corrigere tentaſſe; et aceti
vini, in quo baccae iuniperi ſolutae fuerint, (medi-
camenti certo equis noxii,) menſuram vnam quo-
tidie ad potandum exhibuiſſe; tradit: iudicatque,
huius morbi epidemici curam partim vim vitalem
excitando, partim ſanguinem inflammatorium (cu-
ius praeſentiam cruſta denſiſſima, et ex luteo alba,
in ſanguine ex vena miſſo conſpicua, ſatis declara-
uerit,) corrigendo, abſoluendam fuiſſe; priorem-
que in finem fortaſſis Cl. BOURGELATIVM (qui
ap-

apparentes ſudores calido regimine, frictionibus, vnciae vnius theriacae vſu, adiuuit, tumorum cri- p. 310.
ticorum ſuppurationem veſicatoriis promouit, ipſos, percepta fluctuatione, ignis ope aperuit, vlcusque aequalibus vnguenti Aegyptiaci et ſuppuratorii partibus tractauit, quocunque die bis drachmis duabus ſalis communis, in libra vna aquae, dimidiaque ſpiritus vini ſolutis, lauit, tandemque ſolo digeſtiuo conſueto depurauit, et in fine curationis purgantia et alumen adhibuit;) medicamentum ex pulueris groſſiſſimi gummi ammoniaci vn- p. 309.
cia dimidia, totidemque pulueris aſae foetidae, in libra dimidia aceti vini ſolutis, paratum, quotidie bis; malo autem grauiori facto, aliud ex alcali volatilis ſalis ammoniaci cochleari dimidio, in dimidia vini vel infuſi baccarum iuniperi libra ſoluto, confectum, quocunque die ter, exhibendum, commendaſſe putat Cl. Auctor.

Arbitratur deinde, vires vitales potius mixtu- p. 310.
ra, ex ſpiritu vini et aceto vini parata, partim ad ſuffitus, partim pondere librae dimidiae mane et veſperi ad potum propinata; clysmate, ex eadem dicta mixtura, et quinque libris infuſi maluae facto, equis applicato; vel camphora in aceto vini ſoluta, (licet exigua tantum eius quantitas ſoluatur,) vel alcali volatilis drachmis duabus, aquae nitroſae libris tribus ſubactis, in clysmatis, et vncia vna radicis gentianae, in aceto vini, ſale communi ſaturato, ſoluta, in potus forma, exhibitis, reſtaurandas; plurima remedia propter noxios aromaticorum et ſpirituoſorum effectus, alimentorum in ventriculis repertorum inſignem copiam, ruminationis defe- p. 311.
ctum, craſſorum inteſtinorum collapſum, magis in clysmatum, rariſſime in potionum forma, ideoque loco nutrimenti ſola furfurum decocta, (quibus cremor tartari vel acetum vini addantur,) propinanda;

ſetacea

ſetacea copioſa, propter inſignem, quam tumores cutanei, (ſtatim exſtirpandi, rationeque, a Noſtro praeſcripta, tractandi) tulerint vtilitatem, pectori, abdomini, lumbis et humeris applicanda fuiſſe; nec non veſicatoria ex fermento panis, cantharidum puluere, aceto vini, guttulisque quibusdam butyri antimonii, parata, egregium praeſtare vſum.

Tom.III. Medicamenta, quorum hiſtoriam tomus tertius tradit, diuiduntur in mucilaginoſa; quae vel aquoſa, vt lactuca, poma, lac, et aqua; vel ſicca et farinoſa, vt althaea, oryza, auena, et frumentum; vel ſaccharata, vt mel et liquiritiae radix; vel oleoſa, vt pinguedines, oua gallinacea, amygdalae dulces, oleaeque fructus: in acida, vel vegetabilia, vt cremor tartari, acetum vini, acetoſae herba, et ſaturnina; vel mineralia, vt ſpiritus ſalis, acidum nitroſum et vitriolicum: in narcotica vel anodyna, vt
p. 100. opium, (hanc virtutem in boue, oue, et equo, non exſerens, ſed vim vitalem augens, appetitum acuens, et, inprimis in oue, diuretice agens) in purgantia, vt manna, folia ſennae, aloë, antimonium, ſalque mercuriale; in diuretica, vt lapathi, petroſelinique radix, terebinthina, alcali fixum, nitrum, ſal marinum et aquae minerales: in diaphoretica, vt angelicae radix, formicae, alcali volatile, et fuligo ſplendens: in ſialagoga, vt radix pyrethri, aſa foetida, mercurius, eiusque praeparata: in errhina, vt herbae nicotianae folia: in expectorantia, vt ſulphur: in ea, quae pus detergant, vt abſynthium, et chelidonia, calx, ex cupro praeparata, et natatio; in adſtringentia, vt ſaniculae herba, ipecacuanhae radix, agariſcus, terrae bolares, aliaeque abſorbentes, alumen, martialia, et cortex Peruuianus: in aromatica, vt chamomillae, ſaluiae et rutae herbae, gentianae radix, iuniperi laurique baccae, camphora, gummi ammoniacum et olibanum, atque vinum:

tandem-

tandemque in veſicatoria, vt cantharides et meloe maialis; et cauſtica, vt arſenicum, lapis cauſticus, et infernalis. Quorum omnium medicamentorum, (generali vniuscuiusque eorum generis virtutum notione data) characteres, ſpecialiores virtutes, et adminiſtrationem, exponit, et cuique eorum generi aliorum minus praeſtantium catalogum annectit Cl. Auctor.

II.

Hippocratis aphoriſmi ad fidem veterum monumentorum caſtigati, latine verſi, ab I. B. LEFEBURE DE VILLEBRUNE, Conſtantinopoli 1779. in 12. 371 pag.

Ingens editionum horum aphoriſmorum copia, quae olim prodiit, hanc qualemcunque editionem nequaquam facit ſuperfluam, ſed potius commendabilem, quum has cum noſtra conferendo intelligamus probe, quantum ſtudii in illa adornanda, emendanda atque perficienda impenderit Cl. Editor, ſuosque ſi non ſuperauerit anteceſſores, aequauerit tamen haud dubie. Melius vt haec perſpiciantur, commemorandum potiſſimum nobis eſt, quibus praeſidiis inſtructus, quibus copiis ingenii et doctrinae ornatus, qua aſſiduitatis laude et laboris patientia praeditus Cl. LEFEBURE hanc ſuſceperit laudandam atque commendabilem operam; ipſe ſiquidem profitetur, ſe per plurimos annos in eo fuiſſe multum atque totum, vt nonnullorum codicum ope in obſcuriora loca inquirendo, atque coniectando emendandoque ea illuſtraret, et monitis, conſiliis atque incitamentis Cl. LORRY obtemperaret. Quum autem fundamenti loco quaedam editio eſſet ponenda, Francofurtanam de anno

anno 1595. FOESII elegit editionem, qua cum ZWINGERI opusculorum aphoristicorum Basileae 1747. emissum exemplar contulit. Deinde adiit Codices interpretesque Graecos, Arabes, Hebraeos, Latinosque, atque varias lectiones excerpsit, et Galenum in subsidium aliosque vocauit; sed, eheu! Galenum non de meliori commendat nota, quippe qui, ordine sectionum mutato, opinionibusque Peripateticorum haud raro in textum illatis, temerarie in textum grassatus sua dogmata pro Hippocrateis lectoribus obtrudere ausus est, aliosque reprehendit, qui blandulae gloriae fumo capti et audacia seducti critica vel sententiis spuriis in textum inuectis, vel notis margini codicum a prudentissimis scilicet sapientissimisque librariis adscriptis nimium tribuendo venustatem Hippocratis adulterarunt. Celsi autem in Hippocratem merita, prouti fas est, extollit quam maxime, cuius quidem opera se admodum in recudendo textu fuisse felicem gratus praedicat. Reliquos vero interpretes quod attinet, et quos consuluit, etiam commemorat, inter quos principem locum occupat Honain Arabs, qui ipsi ex versione Hebraea alius Arabis Iudaei Nathanis Amathei innotuit, et qui fidem codicum Graecorum Coi assequutus optime interpretatus est. Versio quoque Hebraea Romae a Gaiotio edita non minorem vtilitatem Editori attulit. Codicem alium Hebraeum manu exaratum in Bibliotheca Regia Parisina asseruatum quoque inspexit, parum autem se ex illo profecisse profitetur, quum Galeni textum minus comtum, tersum ac genuinum sit sequutus accurate. Graeca autem inter exemplaria laudat codicem Meletii, quem Philotheus impudentissime spoliauit, sed Philothei versio non admodum probatur, quia ex codice non accurato et versus finem defi-

deficiente eſt concinnata et Galeni opinionibus referta. Duo praeterea exemplaria Alexandrina, quibus plurimum a quibuſdam doctis tribuitur viris, ad ſuos tranſtulit vſus, verum parum ex iis ad rem ſuam potuit traducere. Damaſcii exemplar, quo vſus eſt, cum Arabum exemplaribus prae caeteris conſentiens, Galenumque preſſe ſequens, nonnulla tamen ipſi ſuppeditauit, ex quibus vtilitatem aliquam capere potuit. Conſtantini Carthaginenſis aphoriſmi Hippocratis ex ignoto interprete tralati, et ab *Azzone*, eius diſcipulo, emendati, optimas lectiones Cl. Editori ſuppeditarunt, magni propterea aeſtimandas, quia a codicum Graecorum fide non ita longe recedunt. Nec verſionem latinam e Graeco ſermone depromtam atque in Bibliotheca regia exſtantem reliquit intactam, et quamquam admodum corruptam inuenerit, tamen non ſine vſu dimiſit; nullus etenim liber tam malus eſt, in quo non aliquid inſit boni. Verum et impreſſa exemplaria erant adeunda, igitur FOESII editionem, quia quamplurimas exhibet varias lectiones, quas cum Iſingriana editione compoſuit, primum laudat; LINDENII contra improbat propter malam huius fidem, fallaciaſque et ex ſuopte ingenio emendandi libidinem praepoſteram. Neque multum CHARTERIO tribuit, quippe qui admodum parum praeſtitit, et multa conſarcinauit, qua quidem in re nos habet conſentientes; experti enim ſumus multoties tanti viri hallucinationes. RIGERII tandem opus perluſtrauit, atque ex eo quaedam ad ſuam rem facientia depromere niſus eſt, verum in eo ingenii acumen, et veram eruditionem medicam deſiderauit, quod quidem eo minus miramur, quum Germanus natione ſit, quae natio non ita culta ac polita huic Interpreti videtur, vt ex ea proficere potuerit. Quod reliquum eſt, ſe in recudendo

dendo textu ita verſatum fuiſſe teſtatur, vt ope codicum omnia ad Ionicum ſermonem reuocauerit, idiotiſmos, ac orthographiam Ionibus propriam grammaticiſque Graecis aſſertam reſtituerit, atque e variis textus corrupti lectionibus ſententias claras, diſertaque artis principia ab ipſo Coo alibi aſſerta proferre ſtuduerit. Laudat quoque Clariſſimorum LORRY, BEJOT, MULOT, fauorem, quo ex Bibliothecis ipſi lubentiſſime codices Mſſ. vt eos conſuleret, beneuole ſuppeditarunt.

Itaque his adminiculis inſtructus arrepto calamo Noſter ad emendandum Hippocratem ſeſe accinxit, ſuaſque animaduerſiones publici fecit iuris. Noſtrum iam eſt, vt, de hoc labore quid ſentiamus, libere dicamus: at veremur, nos non ſatisfacturos eſſe Cl. Editori, quum Germani ſimus, quos inclementia coeli et vitae genus obtuſiori hebetiorique ingenio eſſe iuſſit, vt non acute cernant atque perſpiciant, etſi etiam perſpicilla Pariſina adhibeant, quae ingeniis Francogallis perſpicaciſſimis ac ſagaciſſimis vltro et abſque mora in oculos incurrant. Vt tamen arbitri rerum periti intelligant, nos a partium ſtudio, nationaliſmi amore et improbandi contradicendique ſtudio eſſe remotiſſimos, in interiora ipſa penetrare, operamque impendere cupimus, numne aliquid talparum (vtor verbo Editoris) more eruamus, quod melius redoleat lutum. Nos ſane magna cepit admiratio, Cl. Editorem, ſuis laudibus alias non defraudandum, inter tot egregia ſubſidia, quibus in edendis vſus eſt hiſce aphoriſmis, alia penitus reieciſſe, quae reuocando illuſtrandoque textui inſeruire potuiſſent quam maxime. Dolemus inprimis, eum fontem aliquem limpidiſſimum, ex quo rigare potuiſſet ſuum hortulum Hippocraticum, praeteriiſſe penitus, neque ex eo ſaltem aliquid delibaſſe. Latuit

enim

enim Cl. Editorem illud egregium opus quod in Bibliotheca regia Parisina *) asseruatur, et sic inscribitur: *Abdalrahman ben Ali, ben Abisadeck, Fossoul Bokrath*, in quo sane haud spernendae obseruationes continentur. Neque EVSTACHII notae erant praetereundae in Erotiani Glossas, quippe quibus multa ex Aphorismis loca docte atque eleganter restituuntur. Mitto iam HERINGAE, TRILLERI, KRAVSII Nostri, aliorumque merita in HIPPOCRATEM, atque prae reliquis nos mordet, Cl. Editorem tam abiecte et minus honorifice atque petulanter de KRAVSIO iudicasse; sic enim in praefatione: **) *Quantae in recudendo textu mihi fuerit vtilitati* (Celsus), *quamquam immerito vapulet in notis eruditi* KRAVSE *talpa caecutioris in pluribus locis restituendis, meis in animaduersionibus patebit.* An non virga critica sit merito dignus, penes alios iudicium esto, quibus merita KRAVSII in Celsum fuerunt probata ac perspecta. Missis his, examinabimus quaedam loca, vt appareat, quale sit ingenium Editoris Cl. qualesque notae criticae, quibus emendationes confirmantur. p. 13. Ad S. I. aph. 2. εὐπετέως. *Vulgata εὐφόρως. Sic etiam plurimi antiqui hic. Sed εὐπετέως verum idioma auctoris tueor.* Loca addit a FOESIO laudata, quae etiam EVSTACHIVS collegit ad Erotianum in voce εὐπετέστερον, qui reddit ῥᾳδίτερον, GALENVS autem ῥαδίως, ἑτοίμως. Ex quibus apparet εὐπετέως praeprimis esse vocabulum HIPPOCRATI peculiare in deiectionibus vsurpatum, quod et loca declarant; vnde et colligitur, v. εὐφόρως ceu spuriam esse extrudendam et pro glossemate irrepto atque textui intruso habendam. p. 64. Sect. II. aph. 43. Nimis audacter pro τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων in textum recepit ἀλυόντων, et post ἀναφέρουσι inser-

*) v. Catal. Mss. Biblioth. Reg. Par. T. I. p. 212. 218.
**) v. p. VIII.

inſeruit voces τὰ πολλὰ, refragantibus codicibus manu exaratis et editis. Nititur autem auctoritate Nathanis, qui reddidit הערלף, in obſeruationibus vero mauult ἀλυομένων, pro καταλ. quod ſane non tanti momenti eſt, quum tyronibus conſtet, compoſita verba habere interdum poteſtatem ſimplicium tantum. Ἀλύοντων autem quoque ferri poteſt, quum ἀλύζειν et actiue et paſſiue vſurpatur, auctore Galeno in Gloſſis: ἀλύζει) ἀπορεῖ, ῥιπτάζεται. Ergo neque cum Nathane: *qui ad animi deliquii terminum peruenerunt*; neque cum Noſtro: *qui ſpe deplorata conficiuntur, nondum tamen mortui*, verterem, ſed qui *praefocantur et iactantur* (ex Galeno), *nec dum tamen mortui ſunt*, ſed morti propinqui. Nam iactatio praefocationis eſt effectus; igitur nihil temere mutandum. Deinde voces τὰ πολλὰ non ſunt inſerendae; nam, quamquam Hippocratem non ignoraſſe concedamus, quoſdam ſaeuo mortis trabali eripi vel febre, vel promto auxilio; conciſae ſtructurae orationis Hippocrateae tales ellipſes, quae facile ſubintelligi poſſunt, quum nulla regula ſit ſine exce-
p. 112. ptione, ſunt condonandae. Sect. III. aph. 24. poſt βῆχες, ἄφθαι, inſerendam eſſe cum Arabe Conſtantini vocem φάρυγγες, contendit Cl. Editor, quae quidem gloſſematis loco eſſe poteſt, nam ex ſero lactis penes nuper natos puerulos exulcerationes fiunt oris, ergo quoque φάρυγξ iiſdem afficitur, quod per ſe patet; vno enim nominato, non excluditur alterum. Magis autem neceſſarium fuiſſet monere vocem νεογνοῖσι eſſe genuinam, quamquam νεογονοῖσι a quibusdam legatur, quod non eſt Ionicum, et Iul. Pollucem *) de infante recens nato loquentem; ἄμεινον δ' αὐτοῦ τὸ παρ' Ἡροδότῳ νεόγονον, ἀλλὰ τοῦτο καὶ Ἰωνικόν: eſſe emendandum aeque ac lectionem Hippocrateam, quae his verbis poſ-
ſet

*) Lib. II. ſect. 8.

ſet defendi. Herodotus *) ſiquidem ſic ſcribit: παιδία δύο νεογνὰ ἀνθρώπων τῶν ἐπιτυχόντων διδοῖ ποιμένι τρέφειν, et Homerus **) ſic cecinit: Πῶς ἐδύνω, δολομῆτα, δύω βόε δειροτομῆσαι Ὧδε νεογνὸς ἐὼν καὶ νήπιος. Νεογνὸς quidem contractum eſt ex νεόγονος, non autem Ionicum. Sect. IV. Aph. 21. p. 149. ita immutauit Cl. Ed. audacter et licenter, vt actum plane eſſet de textu quamplurimorum auctorum, ſi ita verſari velimus. Iudicium penes lectores noſtros eſto: quorum gratia et aphoriſmum ipſum et animaduerſionem ſubiicimus. In vulgatis ſic legitur: Ὑποχωρήματα μέλανα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν ἀπ᾽ αὐτομάτου ἰόντα, καὶ ξὺν πυρετῷ, καὶ ἄνευ πυρετοῦ. κάκιστα p. 121. καὶ ὁκόσῳ ἂν τὰ χρώματα ὑποχωρημάτων πλείω πονηρότερα ᾖ, μᾶλλον κάκιον, ξὺν Φαρμάκῳ δὲ ἄμεινον. Καὶ ὁκόσῳ ἂν χρώματα πλείω ἢ οὐ πονηρόν. Sic refingit eum Cl. Ed. Ὑποχωρήματα μέλανα αἱματώδεα, ἀπὸ ταὐτομάτου ἰόντα, καὶ ξὺν πυρετῷ, καὶ ἄτερ πυρετοῦ, κάκιστα· καὶ ὁκόσον ἂν πλέω ἔῃ τὰ χρώματα τὰ πονηρὰ, μᾶλλον κακόν. ξὺν Φαρμάκῳ δὲ ἄμεινον, ὁκόσον ἂν μὴ πλέω ἔῃ τὰ πονηρά. De hoc aphoriſmo ita ſermocinatur Cl. Editor: „Hic ita corruptus in codicibus, vt ex multiplicibus lectionibus ne quidem poſſit intelligi in vulgatis, niſi caſtigetur e Coac. 608. vnde deſumitur, collato enim ibid. 612. Plures lectiones notauit Foeſius. alias quoque illi ignotas collegi, ſed fruſtra. Textum ad incudem reuocaui, omnibus gloſſis reiectis„. Qua vero fortuna, alii viderint; ingenioſas enim interpretationes minime veras ac genuinas eſſe omnes norunt. „ib. ἀπὸ τ᾽ αὐτομάτου, id eſt, αὐτοματίζοντα, *ſponte prodeuntia*, non *repentina*, vt male Celſus L. II. c. 8. p. 76. Quae enim ſponte fiunt, id eſt, ὑπὸ αὐτοματισμοῦ, vt ſect. 4. p. 76. non ſemper repentina contingunt, ἐξαπίνης. Neu-

*) L. II. c. 2.
**) Hymn. in Mercur. v. 405.

trum tamen legitur in Coacis. Confer *Praenot.* 66. 67. Non immorabor variis interpretum versionibus quae, quam textus, tam ipsae vitiosae.„ En Criticum dictatorem! „ξὺν φαρμάκῳ δὲ ἄμεινον. Ne credas tamen, haec a pharmaco educta semper vacare periculo, etsi dicatur Coac. 608. ἀκίνδυνον. Additur enim *si nimia quantitate non exsuperent*, et idem stat in aphorismo glossis reiectis. Vide historiam Apellaei Epid. V. p. 240. Foes. Prosunt quidem melancholicis *haemorrhoides* aph. 11. s. VI. Ac nec tutas esse sanguinis nigri profusiones hac via docet exemplum Eudemi, Epid. V. p. 238. Vide Coac. p. 346. et ipse exemplum nuper vidi in lanione, qui in extremo periculo versatus est. Nec minus timendum a sanguine rutilo, Coac. p. 605.„ Libenter subscriberemus interpretationi Cl. Editoris, nisi textus vulgaris pateretur aliam aeque commodam explicationem, quam paraphrasi illustrauit IO. CVNR. DIETERICVS *), quam tamen breuitatis
p. 243. causa hic loci non repetimus. Sect. V. aph. 38. mirum in modum sese exercuit ingenium Cl. Editor et immutauit hunc aphorismum Γυνὴ ἀμφιδέξιος οὐ γίνεται sic: „Glossas a Foesio et antiquis, ignare praeeunte GALENO, adlatas neglige, et lege pro falsa opinione veterum, non HIPPOCRATIS, γυνὴ ἀμφὶ δεξιοῖς οὐ γίνεται, id est ἐν δεξιοῖς. Qui error ipsi GALENO non perspectus, factus ignorantia regiminis vocis ἀμφί.„ Sed nihil mutandum, neque Glossae Erotiani aliorumque temere sunt reiiciendae STEPHANVS enim et EVSTACHIVS ἀμφιδέξιος pro genuina lectione agnouerunt, et explicatio Editoris, quae **) EVSTACHIO iam cognita fuit et perspecta, minime vera. Potius sic sensus congruus

*) Vid. Hippocrat. Aphorismos ab ipso editos, Giessae 1656. quaternis p. 57.

**) v. animaduers. ad Erotiani Gloss.

gruus erit: *mulier non fit ambidextra*, i. e. quae vtraque manu tamquam dextra vtatur. Hoc ex physiognomonicis principiis HIPPOCRATIS patet, quibus docet, sexus feminei imbecillitatem et in eo esse conspicuam, quod et in sinistra manu influxus caloris et spirituum sentiant; quia et in sinistra parte vteri gestentur. Auctoritate nitor ipsius COI *), THEOPHILI PROTOSPATHARII **), FOLLINI ***) et QVELLMALTZII ****). Quae autem ad aph. 39 de lacte mulieris non foetae prodidit, eleganter illustrauit SCHACHERVS *****). Sect. VI. p. 321.
aph. 34. qui in vulgatis sic legitur: ὁκόσοι φαλακροὶ τουτέουσι κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίνονται. Ὁκόσοισι δὲ ἂν φαλακροῖσιν ἐοῦσι κιρσοὶ ἐπιγένωνται, πάλιν οὗτοι γίνονται δασέες, ita refingit: Ὁκόσοισι κιρσοὶ μεγάλοι, ἔσσον φαλακροὶ γίγνονται. Κἢν φαλακροῖσιν ἐοῦσι κιρσοὶ μεγάλοι ἐπιγίγνονται, ἔνιοι αὖτις γίγνονται δασέες. Si tales emendationes audaciae imaginem non prae se ferre videntur, sane quidlibet ex quolibet loco erit ex ingenio fingendum. Stat etenim aphorismo vulgato, si modo omnia probe expendantur, sua sententia, sua veritas, ergo a nimia emendandi libidine est abstinendum. ARISTOTELIS locus ab Editore prolatus nihil facit ad stabiliendam sententiam Editoris, quum alia ratione aeque vera rem propositam declaret, neque contradicat directe HIPPOCRATI. Ad aph. 46. vbi ra- p. 327.
chiticos non ex gibbositate, sed ex asthmate aut tussiculatione, mori asserit, confer, quae nuper docte

*) v. aph. 48.

**) v. de fabrica C. H. L. IV. c. 30.

***) v. Speculum naturae hum. c. 8. prop. 1 - 4.

****) In peculiari dissertatione de prosopposcopia medica.

*****) in prolusione de lacte virginum et virorum num illud nutriendo infanti sufficiat. Lips. 1742.

et eleganter de hac re diſſeruit Cl. BOSIVS *) in binis proluſionibus. Circa ſectionem ſeptimam eodem modo graſſatur Cl. Ed. multosque aphoriſmos tamquam ſpurios exſtirpat, qui tamen ſeruandi eſſe videntur, conſentientibus quamplurimis codicibus; quid enim fieret, ſi, relictis iis, et quidem optimae notae, pro lubitu vel detruncare vel adiicere vellemus; breui ſane tempore HIPPOCRATEM alia forma indutum acciperemus, qui aliquot annis praeterlapſis aliter decoratus, prouti temporis ratio aut morum mutatio pateretur, prodire deberet. Multa quidem eaque egregie dicta in Edit. Cl. obſeruationibus inuenimus, ſed quamplurima cum grano ſalis ſunt accipienda, et ſub incudem vocanda, cultroque critico vel amputanda, vel puriora reddenda. Verum fateor, niſi ad manus fuiſſent aliae editiones aphoriſmorum, nouos plane legere aphoriſmos mihi perſuaſiſſem; *αὐτοψία* ſiquidem vnum quemque docebit tot mutationes hic occurrere, quot annus complectitur dies.

III.

Delectus diſſertationum medicarum Ienenſium, Vol. I. collegit, praefatus eſt indicemque rerum adiecit D. CHRIST. GODOFR. GRVNER, cum fig. aen. Altenburgi, ſumtibus G. E. Richteri, MDCCLXXVIIII. 4 pagg. 268.

Cl. GRVNERVS in vtili hac collectione a Cll. RICKMANNO et BALDINGERO incipit, eorumque diſſertationibus NEVBAVERI ſpecimina ſuasque proluſiones et diſſertationes adiungit. Quae hoc volumine comprehendantur paucis indicabimus.
p. 1. 1) RICKMANNI diſſ. de partu. 2) NEVBAVER

*) de gibboſitate ex rachitide et gibboſorum exemplis. Lipſ. 1781.

BAVER de epiploo-oſcheocele, cuius receptaculum mentiebatur proceſſum, teſtem et epididymidem ſimul continentem. 3) BALDINGERI commentationes tres, quae IANI CORNARII, primi quondam ordinis Medicorum in Academia Ienenſi Decani, reſtauratoris Hippocraticae medicinae, memoriam recolunt. Rei literariae amicis gratiſſima erunt ac iucundiſſima, quae hic de tanti huius viri ſcriptis et ſtudiis leguntur. 4) EIVSDEM prolufio de corticis Peruuiani connubiis, et exhibendi eum modis. 5) EIVSDEM diſſ. de partu laborioſo et cauſis, quae caput in pelui retinent, praecipuis. 6) EIVSDEM prolufio de camphorae connubiis. 7) EIVSDEM de profeſſore medico eiuſque officiis praecipuis. 8) EIVSDEM de febrium acutarum differentiis. 9) EIVSDEM de filicum ſeminibus. 10) EIVSDEM de doloribus poſt partum et agendi modo remediorum, eos aut lenientium aut excitantium. 11) EIVSDEM commentationes tres de ſede pleuritidis. 12) EIVSDEM de epilepſia et capitis dolore ex tumore durae matris ſcirrhoſo et carie cranii ortis. 13) EIVSDEM de metaſtaſi in morbis. 14) EIVSDEM commentatio, qua ſecale cornutum perperam a nonnullis ab infamia liberari oſtenditur. 15) EIVSDEM prolufio in ARETAEI L. II. c. 8. de venae cauae acuto morbo. 16) EIVSDEM de irritabilitate morborum genitrice. 17) NEVBAVERI deſcriptio anatomica arteriae innominatae et Thyroideae imae.

p. 22. p. 36. p. 47. p. 50. p. 75. p. 78. p. 97. p. 115. p. 131. p. 143. p. 157. p. 170. p. 205. p. 209. p. 214. p. 236.

Addidit his Cl. Editor praefationem, in qua vberius de inſtituti ratione diſſerit, atque promittit indice iis potiſſimum conſulere, qui de materia quadam breviori via erudiri cupiunt.

IV.

Compoſition du remede de M. DARAN, Ecuyer, Conſeiller, Chirurgien ordinaire du Roi, ſervant par quartier, & Maître en Chirurgie de Paris; remede qu'il pratique avec ſuccès cinquante ans pour la guériſon des difficultés d'uriner, & des cauſes qui les produiſent; publiée par lui-meme; précédée d'une préface où l'on expoſe les raiſons qui ont fait différer iuſqu'à préſent cette publication, & les motifs qui engagent aujourd'hui à la rendre publique; Suivie d'un diſcours ſur la théorie des maladies de l'Urethre, des preuves qui conſtatent l'efficacité du remede qui les guérit, & des moyens de faire connoître le mal même aux perſonnes qui en ſont attaquées. à Paris. Chez Didot, Libraire, quai des Auguſtins. Cailleau, Libraire, rue Saint-Severin. Méquignon, Libraire, rue des Cordeliers. 1779. 12. pagg. 312.

i. e.

Cl. DARAND compoſitio remedii, quod per quinquaginta annos in dyſuriis cet. cum felici ſucceſſu adhibuit, ab Ipſo publici iuris facta.

Praemiſſa praefatione, quae attinet huius remedii, quod in cereis bacillis *) cernitur, publicam commendationem, theoria morborum vrethrae et effectus horum cereorum in iis fauſti traduntur. Ac primum quidem de candelis ſuis rite
p. 35. praeparandis differit Cl. DARAN, quorum tria conſtituit genera, quorum primum ratione pretii et

*) v. comm. noſtr. Imae decad. Suppl. II. p. 364.

et effectus reliqua superans *optimum*, alterum *mediocre*, tertium denium *vile* nominat, simulque partium earum, ex quibus componuntur accuratam nobis exhibet notitiam. *Primi generis* praeparatio haec fere est: Rec. herbae cicutae, foliorum nicotianae, meliloti, florum et foliorum hyperici āā manipulum, ouium stercoris libram vnam. Concisa contusa coquantur leni igne in lebete cum nucum olei X libris, tam diu, donec plantae colorem rufum induant. His peractis, oleum fortiter per linteum exprimatur, atque cum axungiae porcinae et sebi veruecini āā libris tribus commisceatur. Cum haec penitus liquefacta sunt, iis adiiciantur per temporum interualla librae octo lithargyrii in puluerem subtilissimum redacti, et, vt ne hic puluis fundum petat, neque adhaereat cacabo, sub diligenti cum spatulo ligneo agitatione per horam coquatur. Additis denique cerae citrinae libris duabus, pergatur coquendo vsque ad bonam iustamque consistentiam. In hoc malagma immittatur linteum tenue et nonnihil obsolete factum, quod discissum deinde in fascias, vel latas, vel minus latas, pro varia candelarum ex illis formandarum magnitudine, cultris dorso abraditur et politur. Praeterea bacilli digitis, vt ora efformentur, et vt laeues fiant, in tabula polita voluantur. Sint autem ita comparati, vt sensim decrescentes, vnam extremitatem altera habeant debiliorem, attamen subrotundam, ne eorum punctio aegris sit molesta. Nunc iam confecti bacilli et efformati, separatim ponantur, exsiccentur et ad vsum conseruentur.

Alterum bacillorum cereorum *genus* ex vna modo commemorati malagmatis parte et duabus cerae citrinae partibus; *tertium* autem ex quatuor cerae citrinae partibus et vna earum, ex quibus primum genus componitur, partium paratur.

Vnguentum, quo illinit bacillos optimos ante vſum, conſiſtit ex quatuor vnciis balſami copayuae, et duabus vnciis emplaſtri diapalmae ignis ope in balſamo liquefacti, cui verſus finem ouium ſtercoris pulueriſati vncia ſub continua agitatione adiicitur. Reliqua candelarum genera, quo eorum in vrethram immiſſio facilitetur, nudo oleo irrorare iuſſit. Si autem obſtacula in vrethra haerentia remota ſunt, candelaeque facili negotio ſe immitti patiuntur, exhibet Cl. Auctor aegris ſuis pilulas, quas *antiuenereas* vocat. Paratur ex mercurii dulcis, ialappae, ſcammonei et gummi guaiaci āā vncia cum ſyrupo roſarum ſolutiuo pilularum maſſa, indeque formantur pilulae ad pondus quinque granorum. Exhibet illarum aegris duas vel tres aut matutino aut veſpertino tempore, quinque autem vel ſex aegris propinat pilulas, ſi euacuandi vim deſiderant. Decocta ex demulcentibus emollientibus et leniter aperitiuis, vt floribus altheae, verbaſci, tuſſilagine, malua, parietaria aliisque cum adiectis aliquibus nitri granis parari iubet.

p. 40. Tum ſequuntur *pilulae antiuenereae*, mercuriales et leniter aluum mouentes, quas ſumunt aegri
p. 41. facile, immiſſis cereis et obſtaculis leuatis. Decoctum eſt ſimul adhibendum, ex floribus videlicet maluae, verbaſci, cet. ſub finem ſanationis in ſubſidium ſunt vocandae aquae minerales. Excipiunt hoc obſeruationes a medico ratione aegrorum inſtituendae.

p. 1. Quibus praemiſſis, ad ipſam accedit Cl. Auctor tractationem, atque in vniuerſum morbos vrethrae
p. 2. deſcribit, eosque examinat. Inquirit in cauſas difficultatis vrinae varias, eaſque declarat, multum tamen in hoc negotio contractioni fibrarum tribuit,
p. 3. qualicunque etiam de cauſa fiat. Reiicit adſtrin-
p. 5. gentia, atque noxas inde metuendas narrat. Deinde

inde de calloſitatibus, ſiue cicatricibus, de carnoſi- p. 11.
tatibus, carunculis ſiue excreſcentiis atque de vlce- p. 13.
ribus vrethrae agit, et ſuam methodum medendi lau- p. 37.
dat. Hac occaſione etiam quasdam *quaeſtiones* dilu- p. 53.
cide ſoluit, ad easque reſpondet. Venit ad inflamma- p. 54.
tionem verumontani ſcirrhoſam indolem nonnun-
quam nacti, quae cauſam difficultatis vrinae conſti-
tuit. Indurationem autem proſtatarum ſiue veſicula- p. 66.
rum ſeminalium aliam eſſe cauſam ſtranguriae dicit,
duo memorans exempla, quorum alterum probat,
proſtatas calloſas, alterum fiſtuloſas fieri poſſe. Fun- p. 70.
goſitates proſtatarum et veſicularum ſeminalium
eundem exſerunt effectum, et hac in re Cll[i]. VI-
LARS, ASTRVC et FAGIVS cum eo conſentiunt.
Concretionibus autem peculiaribus etiam locum p. 73.
inter cauſas aſſignat.

Cauſis enumeratis, effectus gonorrheae mali- p. 74.
gnae male ſanatae recenſet, ad quos refert ſtrangu-
riam habitualem, iſchuriam. *Iſchuria venerea* de- p. 81.
ſcripta, ad remedia aduerſus iſchuriam commenda- p. 88.
ta progreditur. Neque *punctionem perinaei* ali- p. 100.
quam vtilitatem afferre poſſe ſtatuit. Agit dein p. 165.
de ſexus ſequioris ſtranguriis venereis.

V.

Teoremas, i problemas, para examinar, i ſaber uſar qualesquiera aguas minerales, los quales pueden ſervir de inſtituciones deſta parte de la medicina, i por medio de ellos ſe averigua con eſpecialidad la naturaleza, i virtudes del agua mineral del Pilaz de la Ciudad de Chinchilla, i de la acreditada de Puerto Llano. Deſpueſtos por D. ANTONIO CAPDEVILA Medico. En Madrid, 1775. 4. pagg. 45.

i. e.

Theoremata et problemata ad examinandas aquas minerales, eorumque vſum cognoſcendum: quae inſeruiant inſtar inſtitutionum huius medicae partis, et quibus natura et virtutes aquarum mineralium iuxta pilam vrbis Chinchillae et prope ab vrbe Puerto Llano ſcaturientium illuſtrantur, auctore ANTONIO CAPDEVILA.

Ex relatione Cl. DE MVRR huius libri cognitionem accepimus. Etenim rariſſima ſunt apud nos Hiſpanorum producta erudita. Alio iam tempore Cl. IOAN. GAMEZ aquas ſoteria de Aranjuez *) et IOAN. ANTONIVS PASQVAL eas quae in Vado-Canas **) ſcaturiunt, deſcripſit. Deinde, etiam Cl. CAPDEVILA tractatum de recto vſu aquarum mineralium Marmoleianarum ***) ſcripſit: in hoc autem libro axiomata et regulas proponit, quibus aquae minerales indagari et recte in vſum trahi debeant.

Igitur primum ſalinas aquas, earumque partes conſtitutiuas ex CAROLO LE ROY conſiderat, vſumque medicum tum internum, tum balnei loco adhibitum docet: ſic aquae ab *Azaraque*, *Fortune*, *Mula* et *Alama*

*) Enſayo ſobre las aguas medicinales de Aranjuez. En Madrid. 1771. 4.

**) Diſſ. de las Virtudes medicinales, Vſo, y Abuſo de aguas minerales de la Fuente de Vado-Canas, ſita las en el termino de la Villa de Reguena. &c. En Murcia. 1769. 8. Eſt, Auctore CAPDEVILA, egregius liber.

***) Diſſ. de las Aguas minerales de Marmoleio, i de vna infermedad endemica de la Andalucia con la hiſtoria literaria Critica de los Autores, que han tratado de las agu. miner. de Eſpana.

Alama Murciana hominibus apoplexiae et rheumatiſmis ſubditis prcſunt. Poſterioribus praeſertim thermae Mombuyanae in Catalonia conueniunt. Aquas deinde martiales iuxta Cl. CASIMIRVM GOM. ORTEGA deſcribit Cl. CAPDEVILA. Maxime celebris eſt fons, in *Eiido* vel *Prado de San Gregorio* prope ab vrbe *Puerto Llano* ſcaturiens. Aqua Marmoleiana eadem fere fama inſignitur. Tum aquas minerales *Moniſtroli* in Catalonia, *Archenae* et *Mulae*, *Graenae* et *Alamae* in Granadae regno, et *Ledesmae* iuxta Salamancam ſcaturientes contemplatur. Archenenſes ſigillatim Cl. LVDOVICVS IOSEPHVS PEREIRA anno 1767 et 1768 diſquiſiuit. Aquam ſalinam a Pila vrbis Chinchillae magna vi etiam in venereis morbis praeditam eſſe, ſi vel bibatur, vel balnei loco adhibeatur. Subiungit Auctor in hoc libro catalogum ſcriptorum ſuorum, tum impreſſorum, tum manuſcriptorum. Inſunt praeter medicos et mathematici libri: numerus eorum eſt 45.

VI.

ANTONII GVILIELMI PLAZII Orationes quaedam. Lipſiae apud Langenhemium 1774.

Omnis fere ars ac diſciplina ita eſt comparata, vt habeat in ſe quid, quod eos, quorum mens nec acuta ſatis et firma eſt, nec ſingulari quadam propenſione ad eam trahitur quaſi, et deterrere facile, et taedium ſui illis iniicere valeat. Accidit hoc et inprimis Medicinae, quod tum ex aliis multis patet exemplis, tum quoque ex tam variis iisque quam maxime abſurdis, quae de ea iactantur quotidie, opinionibus, facile apparet. Quamobrem, ſi de arte medica bene meriti dicuntur ii, qui illam ſummo cum ſtudio et acri cum labore commendant,

dant, et docent alios, non minus hac laude dignos iudicauerimus, qui contra imperitorum incurſiones defendere medicinam conantur ea ratione, vt demonſtrent et oſtendant aliis, huic quoque diſciplinae ineſſe quaedam, quae ſat ſuauitatis in ſe habeant; nec Medici frontem rugis ſemper eſſe obductam, ſed huic quoque licere iocis aliquam partem concedere ingenuis. Hunc finem ſpectauit ſine dubio Celeb. PLAZIVS, quum ederet has orationes, quae praecipue eiusmodi ſunt argumenti, vt hilaritatis et feſtiuitatis plurimum in ſe contineant. Cum vero ſe maximopere commendent eo, quod a Viro habitae ſint, laudibus noſtris ſuperiore, atque de arte ſua ante alios praeclare merito, tum etiam ob genus dicendi elegans et ad rem omnino aptum, et ob ſalis, quo conditae ſunt, plurimum, haud exigua laude dignae ſunt. Prima ex his orationibus, quarum ſunt nouem, agit *de feminarum in medicinam imperio*, ita vt primum demonſtretur, in quibus rebus liceat omnino dominari feminas, et tum oſtendatur, quomodo in re medica, inprimis in puerperio, illicitum imperium exerceant. Altera, quae inſcribitur *ridiculas veſtium formas nec hominem nec doctorem facere*, et mores veſtium et opiniones eorum perſtringit, qui doctorem ex veſte iudicant. Tertia exponit *de ſplendida medicorum miſeria* et eſt bipartita, ita, vt primum de honoribus, in quibus medicina et eſt et fuerit, diſſeratur, et poſt, tum ex ingenti rerum addiſcendarum farragine, tum ex laboribus et ſudoribus grauiſſimis et ex mercede parciſſima demonſtretur, quam miſer ſit medicus, honoribus etiamſi ornatus ſit quam maximis. Quartae argumentum eſt *Thalia medicinae miniſtrans:* vbi commoda enumerantur, ex theatris in rem medicam redundantia, qualia ſunt hilaritas, riſus, amores, medicorum mores

res emendati, et alia. Quinta *de* GALENO *opes dante* oſtendit varias in medicina vias opes ſibi comparandi. Sexta habita *de praepoſtero rationalem medicinam addiſcendi conſilio* per ironiam extollit medicinam empiricam et reſpuit rationalem. Septima *de arte naturam ſuperante* enumerat merita artis in naturae defectibus emendandis. Octaua tractat *de medico omnium audaciſſimo*, et nona demonſtratur *foeminas eſſe homines.* Vtrumque argumentum variis iisque lepidis monſtratur rationibus, neque ſunt hae duae vltimae orationes minori laude dignae, quam caeterae, ita, vt perſuaſi ſimus, iis omnes egregie delectatum iri, qui ad earum lectionem, tanquam ad grauiorum laborum dulce lenimen, accedant.

VII.

C. G. POETSCHENS *mineralogiſche Beſchreibung der Gegend um Meiſſen etc. Dreſden bey Walter* 1779. 8. 11. *Bogen m. K.*

h. e.

Deſcriptio mineralogica exacta agri Miſenenſis, auctore C. G. POETSCHIO.

Quod iam anno MDCCLXXIII ſpecimen mineralogiae Miſenenſis Cl. Auctor Societati Oeconomicae Lipſienſi tradiderat, et ab hac ſcriptis eius inſertum eſt, id nunc multo auctius et ornatius prodiiſſe ex praefatione intelligitur. Natura p. 1. huius agri breuiter deſcripta, eundem quinque *itineribus* peragrat Cl. Auctor. Et *primo* quidem itinere p. 5. perſequitur *Albim*, inde a radicibus *montis Martini* Scharfenbergam vſque, *vallem*, quae ibi eſt, et metalla continet, vnde per montem, dictum *der Bloſſe*, domum redit. Montes ſunt *granitei*, e quar-

zo albo, petroſpato rufo rhomboidali, et mica fu-
p. 6. ſca. Granitem alterius Dreſdam verſus ſtrata cal-
carea tegunt. Ipſe, ſtratis veluti ſeiunctis, verſus
ſeptentrionem et occidentem vergit, quae quum
ſub dio fatiſcentia et ſoluta reperiuntur, agrum
p. 7. optimum vitibus praebent. Si nudus non eſt, lu-
p. 9. to obtegitur. *Scharfenbergae* ſunt minerae *argenti*
in eodem *granite*, id quod nuſquam alibi in Saxonia.
p. 10. *Venae* ex ſeptentrione et ortu in meridiem et occa-
ſum tendunt, atque mineram argenti albam, pyritem,
p. 11. galenam, pſeudogalenam nigram, luteam, phoſpho-
reſcentem, et rubram, in quarzo, argilla, ſpato calca-
reo, gypſeo, nonnunquam et petroſpato continent.
Comitatur eas plerumque vtrinque *fimbria* e ſteatite
ſubuiridi, cum granis quarzi, variatio illa quidem gra-
p. 13. nitae. Harum minerarum hiſtoria paucis enarratur;
p. 16. nam pluribus id fecit *Renekewitz* ſingulari libello,
et de eorum ſtatu quaedam exponuntur.
p. 25. *Altero* itinere vallem *Tribiſci* fluminis, vſque
ad *Munzig* luſtrat, atque inde dextrorſum per ca-
p. 26. cumen montium reuertitur. Primum reperit mon-
tes graniteos, vſque dum dextrorſum valle, *das Rau-*
p. 28. *hethal*, ſiniſtrorſum valle, *der Goldgrund* dicta, vel-
vti abſcinduntur. Inde enim porphyrei montes
exiſtunt, in quibus veluti venulae chalcedonii et
p. 30. achatis paſſim vagantur. Hic Cl. Auctor variorum
proponit de porphyro ſententias, quem ipſe grani-
tae variationem eſſe iudicat: quod autem, noſtra
ex ſententia, eſſe nequit, quum aperte differat maſſa
iſta argillacea ſ. iaſpidea, cui inſperſi ſunt reliqui
lapides; ſitque certe recentioris, quam granites,
aeui. Inter eosdem eleuantur montes e lapide pi-
ceo, cuius notae externae ab Auctore inueſtigantur.
p. 36. Conſtat terra alcalina vel ſilicea acido ſalis immu-
p. 50. tata, et pauxillo terrae ochraceae. Tum enarran-
tur variae, quae alii de eo tradiderint, qua quidem
ratione

ratione diducitur auctor ad ea, quae DELIVS de lapi- p. 52.
de hydrophano, ſ. Oculo Mundi tradidit, quem ipſe
non fatiſcendo corruptum, ſed inchoatum potius eſ-
ſe opalum contra illum (atque, vt nobis videtur, re-
cte) contendit. Hi *porphyrei* montes iterum excipiun-
tur *graniteis*, hi inde a pago *Roitſchen* montibus e p. 74.
gneiſſo, de cuius cum granite affinitate Auctor pauca
diſſerit. In hoc prope villam *Miltitz* eſt ſtratum la- p. 75.
pidis *calcarei*, prope *Munzig* metalla plumbi argen- p. 76.
tiferi, pyrite arſenicali cryſtalliſato maxime nobilia.

Itinere *tertio* contemplatur vallem *die Meiſſa* p. 85.
dictum, vnde egreſſus per ipſos montes ad Albim
fluuium tendit, eiusque ripam legit Miſniam vſque.
Teguntur montes luto, argilla, arena, turfa, in qua p. 87.
lignum bituminoſum, etiam ſuccinum, repertum
eſt. Argillam auctor ſuſpicatur, e lapide piceo p. 91.
ſoluto natam, qui hic non nuſquam apparet. Tum,
quum ſaxa eminent, modo granites, modo porphy- p. 92.
rum reperitur. Prope *Gaſern* eſt fons medicatus p. 96.
martialis.

Itinere *quarto* perſequitur partem eam, quae p. 105.
eſt trans Albim verſus orientem et ſeptentrionem.
Etiam hi montes, vt in oppoſito latere, de quo di-
ximus, ſunt et porphyrei et granitei. In vico
Ockrilla ſunt ſtrata argillae rubrae in varios vſus p. 107.
adhibitae, ibidem ſaxa ex argilla indurata cum p. 109.
quarzo ſimilia lapidibus, *Puddingſtone* ab Anglis
dictis, ingentis magnitudinis, in quibus Auctor et
lignum petrefactum agateum, (cuius magnam vidi- p. 110.
mus copiam in collectione Auctoris, Dreſdae,) re-
perit, et, quod magis etiam memorandum, *clauum
ferreum*, quem eundem ſeruat apud ſe. Prope p. 112.
Bonitſch occurrunt ſtrata *margae* induratae. In p. 118.
monte *der Zſcheilenberg* iterum *granites* ſe oſtendit. p. 120.

Iter *quintum* et vltimum obit regionem trans p. 121.
Albim verſus meridiem et orientem. Ad piſcinam,

der Fürſtenteich, nunc exſiccatam, iterum *granites*,
p. 123. et quae ad *Okrillam ſaxa* reperiuntur. *Oberaviam* attingunt montes granitei, quorum tractus e Luſatia ſuperiori, et Bohemia, per *Stolpam* et *Groſſenhainiam* vſque deducitur. Eſt autem hic granites diuerſae ab altero, quem ſaepe commemorauimus, ſtructurae, e quarzi albi magna parte, petroſpato albo et mica griſea, compoſitus paruis
p. 124. in granulis. Inter *Weinboehle* et *Zaſchendorf* eſt mi-
p. 125. nera ferri calciformis aruorum. Mons, *das Spargebirge*, inprimis celeber vitibus, e granite exſur-
p. 134. git. Denique Auctor vno quaſi intuitu regiones
– 138. deſcriptas ante oculos ponit.

E *tabulis aeneis* adiectis, *prima* tabulam geographicam regionis deſcriptae, *altera* tabulam metallifodinae Scharfenbergenſis, *tertia* et *quarta* conſpectum montis e lapide piceo, *quinta* clauum ſaxo incluſum exhibet.

Quae quidem ſufficient, opinamur, vt pateat, librum hunc et obſeruationum diligentia, et doctrinae elegantia inſigniter commendari.

VIII.

Epiſtola anatomica ad WILHELMVM HVNTERVM, de venis oculi ſummatim, et in ſpecie de venis oculi profundis, retinae, corporis ciliaris, capſulae lentis, corporis vitrei, et denique de arteria centrali retinae, auctore IOHANNE GOTTLIEB WALTER, Med. Doctore, Anatom. et Phyſ. Profeſſore primario, collegii medico-chirurgici et academiae ſcientiarum Berolinenſis membro ordinario, Berolini 1778. 4. 6½ pl. c. f.

Cl. WALTER perſequitur ſumma cum aſſiduitate et doctrina ſuum de venis capitis inchoatum opus,

opus, hic potiſſimum de oculi venis differens, et cautelas in repletione venarum oculi, quae omnium optime vena caua caeteriſque pectoris et extremitatum venis ligatis abſoluitur, adhibendas deſcribit. Oritur vena oculi centralis ex opthalmicae p. 10.
cerebralis propagine inter muſculos rectos, et largitur prius pinguedini venas varias, quam ad bulbum ipſum properet, legit porro ante ingreſſum in bulbum ipſum vnam cum arteria viam, et diſpeſcitur ſe in bulbo in plures venas, quae anterius cum venis corporis ciliaris coniunguntur. Mox inſper- p. 12.
git Cl. Auctor ſollicitum arteriae centralis examen, atque hac occaſione monet, iniectione venarum per arterias non accurate ſatis venarum fines determinari. Arteria centralis recta progreditur, et terminatur in membrana corporis vitrei. In adul- p. 13.
to contemplatus eſt in retina nullas huius arteriae propagines, verum in cellulis demum corporis vitrei, et inprimis in tunica hyaloidea, ibi, vbi lens cryſtallina vitreo imponitur corpori, multas conſpexit ramificationes.

In fetus autem oculo arteriam centralem pri- p. 16.
mum in ambitu humoris vitrei, dein in ambitu capſulae lentis, et denique in parte poſtica membranae pupillaris diſtributam inuenit. Ex quibus clare patet, in fetu vaſa multo melius, quam in adulto iam homine, conſpici. Sic quoque Cl. Au- p. 19.
ctor anatomen oculi Aethiopum ex parte conſiderat. Diſſectione nimirum cadaueris Aethiopis facta, fibras cerebri tenaciores, ſubſtantiam eiusdem externam obſcuriorem, ſcleroticam ibi, vbi cum coniunctiua connectitur ſubfuſcam, corneae externae circulum nigrum, iridem nullam atque retinam firmiorem inuenit. Poſtea membranae pu- p. 24.
pillaris et choroideas venas, earumque cum retinae venis coniunctionem et ex his egregie formata re-

tia deſcribit, ex quibus ſaepe apparet, ZINNIVM arterias et venas promiſcue deſcripſiſſe atque depinxiſſe.

p. 30. Demonſtrat quoque, operationem cataractae per
p. 33. extractionem eſſe tutiſſimam. Iam vero ipſos maiores venarum oculi ramos indicat: oriuntur nempe ex vena profunda faciali interna duae venae, naſalis poſterior interna et ophthalmica facialis, ex quo iterum vnus ramus ad antrum HIGMOHRI abiens, alter venam infraorbitalem conſtituens, et tertius, qui venam ciliarem inferiorem externam et ramum anaſtomaticum offert, originem ducunt. Ophthalmica facialis caeterum progreditur, cum vena cerebrali ophthalmica connectitur atque ci-
p. 35. liarem anteriorem largitur. Vena autem ophthalmica cerebralis ex ſinu cauernoſo orta generat venam centralem, ethmoideam, venulas ciliares, muſculares, lacrymalem, ciliarem ſuperiorem, ramum deſcendentem anaſtomaticum, ciliarem internum naſalem, ſupraorbitarium et frontalem. Caeterum huic epiſtolae, cui quoque germanicum idioma appoſitum eſt, adiecit Ill. Auctor iconum, ſumma cum acribia et arte ab HOEPFERO ſculptarum, explicationem.

IX.

D. GOTTLIEB KONRAD CHRISTIAN STORR, *der Arzneygel. ord. öffentl. Lehrers auf der Eberh. Carls hohen Schule, Entwurf einer Folge von Unterhaltungen zur Einleitung in die Naturgeſchichte. Erſten Bandes Erſter Theil. Frf. und Leipz. bey Aug. Lebrecht Stettin.* 1776. 10 *Bog.* 8. *Erſten Bandes Zweiter Theil.* 1777. 23 *Bog. nebſt* 5 *Bogen Vorrede und Inhalt.*

i. e.

G. C. CH. STORR primae lineae phyſiographiae, in

in commentationum ſerie deſcriptae. Vol. I. P. I. II.

Dudum indicandi operis eo pleniorem nunc tandem tradimus notitiam, quo magis perſuaſum habemus, haud ſuperuacaneum eſſe ſtudium, in quo omnis Auctor eſt, vt diſciplinae, non amoenae magis, quam vtilis ac ſublimis, cum maxime muniatur dignitas, tot impedita moliminibus empiricorum vndequaque inuolitantium phyſiophilorum, ludere in re ſeria cupientium, legumque omnium impatientium. Prima commentatio auctoris noſtri *genuini ſtudii naturae commoda* exponit, poenasque, ſpurios in phyſiophilos ex operis tractandi peruerſo plane more redundantes. II. *Naturae* vocem explicat; III. *Scientiam naturalem*, eiusque partes, a) *phyſiographiam*, ſ. hiſtoriam naturalem, b) *phyſicam*, ſeu *phyſiologiam*, c) *magiam*, ſiue *phyſiurgiam*, diſtinguit. IV. *Adminicula* indicat ad perficiendam phyſiographiam neceſſaria: nimirum *obſeruandi artem*, tum *generalem*, tum *ſpecialem*, ſingulis nempe obiectorum claſſibus accommodatam, experiendi arte inſtruendam, deinde *logicam phyſiographiae*, quae perticam in commetiendis operum naturae ſimilitudinibus adhibendam ſubminiſtret, demum *denominationibus* aptis obiecta indicandi artificium. V. *Spectaculi naturae maiores ſcenas* primo quaſi oculi ictu petens tellurem noſtram ad ſyſtema planetarium noſtro ſoli ſubiectum refert, ab hoc ad caeterorum ſyſtematum ampliores orbes ſubinde adſcendens, immenſam vniuerſi compoſitionem e longinquo perſequitur, vnde demum redux circumſcriptos phyſiographiae, quam homo glebae huic adſcriptus moliri valeat, non poteſt non agnoſcere cancellos. VI. Commemoratis *fabulis celebrioribus telluris ortum et viciſſitudines canere*

re *aufis*, inanem fpem pronuntiat, certi quid circa haec eruturum vllum vnquam fore terricolam. VII. *Tellurem*, qualis nunc habetur, fpectans, eius *materiam*, *formam*, *menfuras* atque *motus* confiderat. Et propius iam acceffurus auctor, ante omnia perpendit, qua via liceat tutiffime progredi; itaque comm. VIII. collatis methodis adhuc tentatis, nonnifi eam naturalem praedicandam cenfet, quae fua operum naturae recenfione feriem quorumcunque iis inditorum fimilitudinis graduum fideli ftylo reddat; cognofcendis iftis fimilitudinum gradibus hanc legem ftatuit, vt fingularum dotium complexus in fingulis fpectetur, momentum autem cuiuscunque dotis ex virtute colligatur, qua polleat in corporum eadem praeditorum adftruenda fimilitudine. C. IX. Phaenomenorum omne genus in tellure obuium ad triplex huius naturae imperii theatrum reuocat, quod *corticis telluris tria ftrata* conftituunt, extimum quidem volatilis indolis, firmae imum, fluidae intermedium. Praemiffa generaliori ftratorum confideratione, in fequentibus per fingula itur; C. X. *Phaenomena ftrato volatili propria* exponens, ea primum recenfet, quae ad *aërem* pertinent, deinde ea, quae ad *lumen* referri poffunt, demum quaecunque *inhofpitantibus* corporibus tribuuntur. Sic et C. XI. *aquae* et *inhofpitantium*, XII. *continentis* eiusque *incolarum* memorabilia praecurforie perftringit. C. XIII. *Mutuas fingulorum ftratorum relationes et cooperationes* tractat ad complendam oeconomiae telluris generatim fpectatae fciagraphiam. C. XIV. iaciendis fcalae operum naturae fundamentis impenditur; haec commentatio, vberrimam, quam nunc rerum natura offert, *varietatem a fimpliciffimis primordiis* repetitura, fubtilioribus phyficae fublimioris tricis nonnihil implicauit noftrum, *fimplicis* quippe ac

corporei

corporei primum naturam inueſtigantem, *corporumque* adſtruentem *originem ex ſimplicibus*, virtute atque niſu, ad ſtatum modum ad ſe accedendi, praeditis, ſic in congeries ſenſibus percipiendas concedentibus. Deducta inde *vi cohaeſionis*, *reſiſtentiae*, *elaſticitatis*, contiguorum corporum *attractio* ex eodem fonte deriuatur; qua ſtabilita, centrum petens *grauitatio* momento vindicatur, quod reſiſtentiae corporis in centro locati ex vndequaque fulciente reliquorum actione non poſſit non accedere. Grauitatio porro intelligendae adhibetur *conglobationi* molis vniuerſae congeſtorum corporum, tum et horum vi, quam ab *inertia* denominant, ſuam in globo ſedem ſuſtinendi. Globi dein circumacti, ſic et occurſantium extraneorum corporum ſollicitationes experientis, *rotatorius* ille *motus centrifugae vis* rationem reddit. *Conflictans* haec cum grauitatione primum inſtrumentum praebet varietatis ex ingenita ſimplicitate emergentis, iamiam *elementorum triga* prodeunte, dum *terreo* accedat *aqueum*, *aëreumque*, quae, vt cohaeſione laxiore potiſſimum ab illo diſtant, ſic et ſtratorum corticis telluris ſupra memorato ordine tenorem legum modo expoſitarum ad amuſſim ſuſtinent, eminente in extimo ſtrato et aëris imperio et vis centrifugae efficacia, in proximo praeualente aqua, cuius natura dubium quaſi centrum petentis atque fugientis vis conflictum exprimat, illa demum inde ab imi ſtrati limitibus magis magisque centrum verſus praeponderante. Poſtremo loco quartum *elementum igneum*, obſcuro in ſe planetae alienum, ex aſtris accedens materiae penum abſoluit, cuius multiplici dein connubio immenſa *mixtorum* vis debetur. Sed et *ſtruendi poteſtate praeditae vires* quaedam nouo labori materiem ſubiiciunt, fabrefactisque ſuis ſibi habitacu-

lis et organis, iiscum *opera naturae organica* conſtituunt, omni oeconomiae apparatu ab antedictis inorganicis quam diſtinctiſſima. Organicorum operum naturae pars nobilior, *percipiente* praeterea *vi* animata, ſupra ea, quae ſui neſcia abſque ſenſu vegetant, euecta, *animantium* nomine nota; horum tamen pleraque, *bruta* inde dicta, inſuperabili, corporis vnice commodis proſpiciente, *inſtinctu* reguntur, exemto ſolo *genere humano*, liberi, nec illimitati tamen, arbitrii inſigni praerogatiua donato, ſummumque ſcalae faſtigium hoc ſibi titulo vindicante.

Altera Pars, ad ſpecialem operum naturae conſiderationem pergens, *inorganica* primum tractat, quorum itaque *naturam* I. commentatio exponit. II. Diſciplinam huic obiecto conſecratam explicat, docetque, vniuerſum corticem telluris in hac diſciplina, monticolis metallurgisque primum exculta, veluti immenſum *montium ſyſtema* ſpectari conſueuiſſe. Eius nunc *fabricam* C. III. perſequitur; IV. *materiem*, cuius legitimam recenſionem C. V. parat, tradens *fundamenta commenſurationis* ſingulorum corporum inorganicorum, montuoſi corticis telluris multiuariam compoſitionem ingredientium. Omnis iſtorum corporum *varietas* ad *duplicem fontem* reducitur, alterum in *materiae diuerſitate*, alterum in *compoſitionis modis* quaerendum; *prioris* quidem potior in dotes horum corporum praecipuas poteſtas eiusdem in ſignificandis neceſſitudinis eorum gradibus ſtatuere videtur *praepollentiam*. Ad id momentum porro illuſtrandum expenduntur *rationes particularum* corporis cuiusque inorganici magis magisque ſimplicium, tum *integrantium*, quae *partes aggregationis* audiunt, tum *conſtituentium*, quas *mixtionis partes* vocant, *elementorum* quoque *ſingulorum peculiarium*

rium quarundam dotium feracium, et chemicae *adſinitatis* adnotatur efficacia. In *compoſitionis modis* diſquirendum venit, quo *ordine* particulae *diſpoſitae*, quo *gradu* ſint *vnitae?* Vtraque conſideratio vel *ſuperficiem*, vel *nucleum*, *partesque* vel *integrantes*, vel *conſtituentes* ſpectat. *Particularum conſtituentium inveſtigatus diſpoſitionis ordo* ex *ratione corporum ad lucem transmittendam* aeſtimatur, quouſque vel *pellucida*, vel *transparentia*, vel *opaca* deprehenduntur; *intimae texturae* nomine hunc corporum habitum diſtinguit Auctor ab *exteriore textura*, qua *ordinem diſpoſitionis nuclei quoad partes integrantes* notatum vult; exteriorem hanc texturam vel *continuam* praedicat, nullo quippe particularum obſeruabili diſcrimine, vel *interſtitiis diſtinctam*, *magnitudine*, *proportione*, *directione*, *figura*, cet. variis. *Ordinem in ſuperficie obtinentem formae* nomen ſignificat, quae *externa*, aut *interna* Auctori dicitur, prout totum corpus, vel partes integrantes ſpectat; Conſiderationi vtriusque eadem praefixa norma eſt: *Singularum* nempe *facierum*, ad efformandam ſuperficiem collineantium, *figurae areaeque* obſeruandae, tum *omnium*, ad numerum, proportionem, magnitudinem, omnemque ſitus rationem, exploranda *coordinatio*.

Generatim formarum inorganicorum corporum varietas ad has refertur: 1) *Forma cryſtallina*, (*Drusgeſtalt*) agnoſcenda nitore ac figura regulari facierum, in canthia atque angulos collineantium; 2) *Forma dyſcryſtallina*, (*Misverdruſung*) quae nitore facierum, quin et regularis figurae, angulorumque atque canthiorum paſſim occurrentibus primordiis, inchoatum quidem cryſtalliſationis opus, nuſquam autem abſolutum, ſiſtit, imperfectis quippe relictis facierum figuris, angulorumque atque canthiorum ſuffocata quaſi elaboratione; 3) *Forma ludicra*

dicra (*Spielgeſtalt*), qua regularis quaecunque configuratio comprehenditur, ab indole cryſtalliſationis aliena, aliisque fortuitis extraneisque cauſis illata, cuiusmodi ſunt vegetationum nomine notae varie ramoſae, gibboſaeque corporum inorganicorum efflorescentiae, pori, tophi, ſtalagmitae atque ſtalactitae, attritu rotundata, vel ſtillicidio eroſa corpora mineralia, graptolithi, lithoglyphi, typolithi, impreſſione, incruſtatione praecipitatione petrificatione aliena forma donata omnis generis foſſilia; 4) *Forma rudis* (*Rohgeſtalt*), quam et *amorpham* vocant, nullam quaſi habentes, quae diſpoſitione regulari quacunque prorſus carent.

Volumen corporum prout ad dimenſionum, *in longum, latum*, *profundumve*, aliam aliamque magis ſe componit, memoratis formarum generibus praecipuam modificationem addit, habitu nempe ſic vel concentrato, vel elongato, vel dilatato. Diſtinguuntur inde cryſtalli teſſeroideae, pyramidales, priſmaticae, cuneatae, radiiformes, tabulares. Et in reliquis formarum generibus dicta dimenſionum diſcrepantia triplicem habitus rationem praeſtat. Pergit nunc Auctor magis magisque, in ſingula eundo, in vlteriore formarum ex nouis modificationibus emergente varietate computanda, expenſa ſingularum facierum in cryſtallis figura, numero, ſimilitudine, magnitudine, proportione, modisque combinationis, tum et reliquis formarum generibus propius ſpectandis; quam quidem ſpecialiorem tractationem ex ipſo libro cognoſcendam relinquimus. In aeſtimandis *vnionis gradibus* ad *partes integrantes* et *conſtituentes*, *propiores*, *ac remotiores* primum attendit, tum vnionis *gradus principales* tres diſtinguit, *firmorum*, *fluidorum*, ac *contiguorum*; poſtremo nempe loco corpora habet ad adſpectum quidem in vnam maſſam collecta, particulis tamen liberis, ne-

que

que obſeruabilem diuulſioni reſiſtentiam opponentibus; ex corporum cohaeſionis hisce gradibus diverſis praeditorum varia miſcela demum multiplex cohaeſionis temperatura, *gradusque ſecundarii* cum *dotibus* inde profluis eliciuntur. Colophonem addit *denſitatum ponderisque* ſpecifici conſideratio. Poſitis his fundamentis ſuperſtruitur aeſtimatio momenti ſingularum memoratarum dotium in corporum inorganicorum ſignificandis neceſſitudinibus.

Vniuerſum *regnum inorganicum* in *tria agmina* diuiditur, *terrarum*, *ſalium*, *inflammabilium;* negat enim Auctor, dotem allegari poſſe, qua aequipollens naturae ſalium atque inflammabilium a terris manifeſto diſcrimini doceri poſſit metallorum ab iisdem diſcrepantia. *Terrarum tres claſſes* conſtituit: primam *vitrinarum* (*Glaserden*), quas ſiliceas alii appellant, duriſſimarum, rigidarum, neque aqua emolliendarum, primitiuam terrei elementi indolem ſic prae reliquis ſuſtinentium; ſecundam *mollium* (*Weicherden*), nunquam priorum duritiem attingentium, aqua emolliendarum, acidis ſolubilium; tertiam *metallicarum* (*Erze*), pondere, opacitate, nitore proprio diſtinctarum, plus minus ductilium aqua non emolliendarum. *Metallorum* indoles terreo elemento ſalium atque inflammabilium ope temperato, *terrarum mollium*, ſalini maxime acidi aërei in terram poteſtati, *vitrinarum* maiori terrei elementi puritati ingenium tribuitur. Vitrinae terrae primitiuae praerogatiua vindicatur. *Triplex* in hac claſſe *puritatis gradus* adnotatur, vt *primam phalangem meraciores*, pellucidae conſtituant, *ſecundam mixtae*, quarum pelluciditas, vna cum reliquo puritatis charactere, ſuſcepta peregrina materie, turbata ſit, *tertiam interpolatae*, manifeſto heterogeneorum conſortio variegatae. Summum

mum puritatis faſtigium aſſecutum Auctori videtur *quarzum pellucidum excolor*, quod, ceu exemplar praerogatiuas claſſis omnes integerrime ſiſtens, a colorato et pelluciditate iam orbato quarzo removere, primumque claſſis genus conſtituere viſum fuerit Auctori, iiscum tamen curis poſterioribus coniunctum intelleximus. Duritie eminentes *gemmae* cum *colorato quarzo pellucido* in ſecundam terrarum vitrinarum puriorum ſectionem ſeponuntur. Mixtarum terrarum vitrinarum agmen ducit *Quarzum pelluciditate exutum*, terra calcarea inquinatum; vlterior iuxta calcaream peregrina admixtio quinque generibus tribuitur, quorum primum eſt *Silex pyromachus vulgaris*, vermium marinorum glutine fetus, II. *Petroſilex aequabilis* WALLERII, magneſiam continens, III. *Lapis corneus Germanorum* CRONSTEDII, margam ſuſcipiens, IV. *Spatum ſcintillans* WALLERII, cui Auctor noſter acidum fluoris ineſſe, cum MARGGRAFIO et PINI exiſtimat, V. *Lapis Lazuli*, et gypſeo, et martiali pigmento tinctus. Terra aluminari ſola imbutis terris vitrinis nomen *Flint* ponitur, magneſiae praeterea portionem admittentibus *Afterflint etc.* calcareo inquinamento fetis *Kalkflint*, terram vegetabilem fouentibus *Holzflint*. Magneſia fetae terrae vitrinae *Flins* vocantur, *Afterflins*, cum terra aluminaris, *Kalkflins*, cum calcarea ſuperaddita fuerit. Ferro aucta terra vitrina granatum conſtituit, pſeudogranatum, cum immixta ſit magneſia, *Eiſenſchlag*, cum terrae aluminaris additamentum obtineat. Subiunguntur aliis metallis fetae terrae vitrinae. Demum vulcanica quaedam producta hactenus ſeponuntur, quamuis ea terris vitrinis, magneſia, calce ac ferro imbutis, adſcribi poſſe, veroſimillimum habeat Auctor. Interpolatae terrae vitrinae ad easdem leges diſponuntur. Singula genera ita tractantur, vt

prim...

primum partes conſtituentes ipſis eſſentiales vna cum dotibus inde profluis toti generi competentibus exponantur, tum ſpecies ex acceſſoriis inquinamentis, varietates, luſusque ex formae diſcrepantiis definiantur, adiectis demum adnotationibus circa locum natalem, originem, copiam, alia memorabilia. Nomina Auctorum eo ſtudioſius collecta ſunt, quo magis noſtri genera aeque ac denominationes ab aliis haud raro deflectentes talem cautelam depoſcere viderentur.

Idem auctor ſui operis ipſe rationem reddidit in libro ſic inſcripto:

X.

Ueber ſeine Bearbeitungsart der Naturgeſchichte. Von G. K. CH. STORR. *Stutgart.* 1780. 112 S. 8.

Quam vehementer ſuae methodi diligens examen optet, pluribus in fronte libri teſtatur Auctor noſter. Memorata dein in transcurſu variorum de ſuperiore libro ſententia, conſilii ſui rationes fuſius exponit. Nominum paulo frequentius propoſitorum antea inuſitatorum in neceſſitate plane ineluctabili veniam quaerit. Perſpicuitati adiectis vbique explicationibus proſpectum fuiſſe docet. Vniverſam porro operis indicati contignationem ita perſequitur, vt rationes inſtituti vbique argumentis firmatas lectori ſiſtat, aliquando etiam experimentis chemicis primum nunc in lucem editis indolem aliis aliisque corporibus ab Ipſo adſcriptam comprobet. Poſtremo loco, ſpecimen editurus, quam longe abſit a ſubterfugiendo ſcrupuloſiore ſuae methodi examine, modum proponit, quo illud ita ſit inſtituendum, vt fabrica ſyſtematis plenius exploretur, pateatque, quouſque eius vſus, in tradendis

dis certis, plenis atque rite ordinatis operum naturae delineationibus, aequorum arbitrorum se iudiciis comprobaturus sit? Exempli loco ipse periculum facit reuocandae ad examen quarzi speciei, quam Ill. BORNIVS Quarzum vocat hexaëdrum diaphanum acaule, pyramide vna hexangulari, prismate nullo. Tale quarzum Auctor noster ad ductum suae methodi a summo partitionis fastigio ad infimum persequitur, experturus, numne genuini iudices scalam Auctoris aptam sint deprehensuri, reddendae naturali ac perspicuae recensioni totius seriei quarumcunque dicti corporis cum reliquis relationum?

XI.

Prodromus methodi mammalium — Praes. G. C. C. STORR. Respondente *F. Wolffer*. Tüb. 1780. plagg. 6 ½. 4.

Dissertatio haec inseruit penitius intelligendae methodo Cl. Auctoris. Prima consideratio dissertationis huius spectat methodi vere naturalis rite intellectam ideam, vindicandam a contemtu artis, abusu nimium exosae redditae plurimis etiam praestantioribus naturae consultis. Consilium, in quo spem maximam successus Auctor collocat, hoc est, vt caute statutarum legum moderamini vniuersum opus submittatur. Primarium huius instrumentum *pertica* constituit, qua in commetiendis operum naturae organicorum similitudinibus tuto vbique vti liceat. Perticam in hoc naturae regno aliam, quam in regno inorganico, requiri, collata vtriusque docet oeconomia. *Pensis* quibusdam operum naturae organicorum quodcunque adhiberi, consentaneo adeoque *instrumentorum apparatu* gaudere, ante omnia statuitur. Instrumentorum

rum nunc in significandis animalium necessitudinibus momenta ex pensorum, quibus famulentur, grauitate aestimantur. In animalis machinae oeconomia praecipue illius apparatus partes celebrantur, qui sanguinis naturam atque circuitum spectat; quod principalis ac vniuersalis huius laticis ingenium quamplurimum in omnem valeat et fluidam et firmam reliqui corporis partem.

Discrimen in hoc apparatu obuium *rempublicam animalium* in *duo agmina* diuidit, et veteribus agnita, qui sanguinea et exsanguia distinguere consueuerunt. *Rubrisanguium* itaque *primum agmen* est; animalium nimirum rubrum sanguinem aurito corde mouentium, respirantium, ossea compage mollioribus partibus subiecta praeditorum. Noui porro sanguiuehi apparatus modi diuisionem huius agminis praecipiunt, *primaque* eius *acies* animalia habet calido sanguine, corde gemino, discreta vtriusque cordis auricula, binis artuum paribus, humore perspirabili, ac ossibus praefirmis gaudentia. *Calida haec animalia* ex vlteriori oeconomiae suae discrepantia ad duplex vitae genus diuergunt, vnde eorum *duae classes* constituuntur.

Prima *mammalia* complectitur, quae, piliferis integumentis, tectis his maxillis osseis, dentiferis plerumque, artubusque sibi subsimilibus praedita, maturos fetus nudos in lucem edunt, lactiferis mammarum mammis enutriendos. *Sedes* mammalibus non eadem omnibus facta est: Maxima quidem eorum pars in terra potius vitam agit, quam in aquis, quibusdam tamen aquam magis, quam terram, habitantibus, aliquibus et aequori perpetuo commissis. Triplici itaque vitae generi haud parcior respondet fabricae mammalium varietas, in *tribus* huius *classis phalangibus* manifesta. *Terrena* nempe absolutissima artuum fabrica eminent, qui, ab

exortu

exortu liberi, commodeque trunco nexi, multiplici et artificiosissimo perficiendo motui aptati sunt: haec *phalanx pedatorum*. *Aquatili magis, quam terrestri, vitae deditis* minus in artubus habilitatis est, quum integumentis trunci vltra medietatem includantur, postremique praecipue artus ad imum ventrem reuincti, qua parte demum solutiores prodeunt, apices porrigant ad incessum minus idoneos, ad remigandum contra magis aptatos, complanatos, expansosque. Corpus praeterea circa pectus ampliatum, hinc magis magisque extenuatum, sic quoque piscium quandam habitudinem induit. *Altera* haec *phalanx pinnipeda* comprehendit.

Magis etiam ab artuum perfectione terrestribus mammalibus familiari ea distant, quae perpetuo in aquis degunt. Anteriores horum artus potiore parte intra integumenta delitescunt, exsertoque apice in pinnarum modum efformantur, postremi abdita portione retrorsum tracti porrectis finibus horizontalem caudam referunt, reliqua etiam corporis facie ad piscium externam speciem adeo accedente, vt pisces vocare vulgus ea consueuerit. *Pinnatorum phalangem* haec constituunt. *Mammalia pedata* in ipsa artuum conformatione nouum crescentis varietatis specimen exhibent, teste *cohorte vnguiculatorum* atque *altera vngulatorum*. Momento in oeconomia animalium perquam notabili, victui vt artuum magnopere inseruit ministerium, sic proxime manducationis et digestionis organa, mire et inuicem et cum nutrimento singulis expenso congruentia, famulantur. *Maxillarum* contemplatio disterminandis ordinibus commode adhibetur: *Primus vnguiculatorum ordo* manducationis apparatu instructissimo et perfectissimo eminet, vtraque maxilla dentium primorum, angularium, postre-

poſtremorum omni genere munita. Intelligendis paſſim obuiis anomaliis hic occurrentibus peculiaris dicata eſt conſideratio, obſeruationibus hoc momentum variis, etiam nouis, illuſtrans. *Primatum* nomen LINNAEI dudum auctoritate ſtabilitum primo huic ordini ſeruatur. *Secundus roſorum ordo* dentibus angularibus deſtitutus primorum fabrica, victui horum animalium exquiſite accommodata, ſatis ſuperque diſtinctus eſt. Manca dentarii apparatus conditio *tertium ordinem* ſignat, cui ſubiecta animalia *muticorum* nomine comprehendit Auctor. *Vngulatorum cohors tres* aeque *ordines* ſiſtit, primum *iumentorum*, quae cum vnguiculatorum primo ordine commune habent, quod dentium omni genere ambae maxillae polleant. *Ruminantium ordo*, alter, notiſſima maxillarum ac ventriculi conditione omnibus agnoſcitur. *Tertium belluae* conſtituunt, maxilloſo ore, dentoſisque maxillis eminentes.

Primatum ordo peculiarem artuum difformitatem exhibet, quum aliis in manus efformentur artuum apices, remoto et prae reliquis digitis extenſili pollice, aliis manuum ſubſidio orbatis. Sic ordo hic in *miſſus binos* abit, *primum manuatorum*, *alterum emanuatorum*. Manuatorum miſſus denuo, prout vel palmae, vel plantae, vel vtraeque manuatae ſunt, *tres ſectiones* dimittit, primam *palmarium*, cui palmae ſolae manuatae ſunt, nec plantae; *vnum palmarium hominis genus* eſt. *Palmoplantarium* ſectio genera complectitur *Simiae*, *Proſimiae* BRISSONII, *Procebi*, (quod genus Lemur Catta LINNAEI ſtatuendum poſtulat,) *Tarſii*, *Lemuris* (volantis illius animalis, Lemur volans auctoribus dicti, at generico diſcrimine a reliquis diſtantis, quae alias ad idem genus reuocari ſolent.) *Plantarium* ſectioni duo genera ſubſunt: *Didelphis* et *Phalanger*.

Emanuatorum miſſus prima ſectione *nocturna* complectitur animalia, *veſpertilionem, ſoricem, talpam, erinaceum, melem, gulonem, melliuoram, vrſum, naſuam.* Ad *ſecundam ſectionem* referuntur *procyon* (vrſus lotor LINN.) *canis, hyaena, felis;* poſtremum genus in peculiarem ſciſſionem a reliquis ſecedit, vncis hamatis, retractilibus diſtinctum, iſtis contra fixis, patentibusque vnguibus praeditis. *Tertiae ſectioni* ſubſunt *viuerra, muſtela, lutra.*

In *roſorum ordine* genera diſtinguuntur haec: *hyſtrix, caſtor, mus, glis, ſciurus, lagomys, cauia, procauia, lepus. Muticorum* ordinis genera ſunt *bradypus, cataphractus, pholydotus, myrmecophaga. Vngulatorum primum ordinem, iumentorum* nomine inſignitum, vnicum *equi* genus conſtituit; *alterum pecora,* quo referuntur *camelus, giraffa, aries, antilope, taurus, ceruus, moſchus. Tertius ordo, belluis* dicatus, generibus componitur *ſuis, hydrochaeri, rhinocerotis, elephantis, hippopotami.*

Pinnipedum phalanx quatuor ſaltem genera ſiſtit, *phocam* nempe, *rosmarum, trichechum,* atque *manatum.* Nec plura hactenus in *Pinnatorum phalange* innotuerunt, his quidem: *Delphinus, Diodon, Phyſeter, Balaena.* Adiectae *tabulae* adnotatorum ſimilitudinis graduum ſcalam faciliori negotio luſtrandam oculo exhibent: Prima quidem generalior ad ordines vſque deſcendit, tres ſpecialiores ordinum ſubdiuiſiones ad genera vſque perſequuntur, omnes autem ita diſtributae ſunt, vt ſpecialioribus ad generaliorem inferne adfixis in communem mappam colligi poſſint.

XII.

XII.

Eclogae botanicae e dictionario regni vegetabilis Bucholziano collectae, exhibentes plantarum antea ineditarum icones ad prototypa accuratiſſime expreſſas cura A. L. WIRSING, Chalcographi Norimbergenſis, cum deſcriptionibus et adnotationibus neceſſariis. Manipulus. I. Norimb. MDCCLXXVII. plag. I. tabb. aen. X.

Laudandum omnino eſt Editoris conſilium, quo, praetermiſſis plantis iam cognitis, et vel centies depictis, ex vaſto et ſumtuoſo opere Bucholziano delegit rariores, parum cognitas, vel nouiter detectas, easque diligenter et fide depictas tradidit. Plantarum integrarum effigiei adiunctae ſunt plerumque partes fructificationis naturali et aucta magnitudine. Quum omnibus botanicis haec collectio vtilis ſit, atque eius praeſtantia praecipue in iconiſmis cernatur, ſuperfluum foret deſcriptionibus plantarum immorari: ſufficit potius nomina earundem indicaſſe. Delineatur itaque

Tab. I. *Gardenia florida.*
Tab. II. *Saluia coccinea.*
Tab. III. *Aletris bifolia.*
Tab. IV. *Moraea vegeta.*
Tab. V. *Saxifraga craſſifolia.*
Tab. VI. *Dalechampia ſcandens.*
Tab. VII. *Ononis criſpa.*
Tab. VIII. *Andromeda racemoſa.*
Tab. IX. *Arum balearicum.*
Tab. X. *Pedicularis Labradorica.* Haec quidem planta in Bucholziano opere non continetur, ſed cum antea neque deſcripta, nec depicta ſit, et no-

 viter

viter detecta, addita eſt. Color corollae flauus eſt. Accedit ad *Pedicularem* caule ramoſo, calicibus oblongis quinquefidis crenatis, floribus laxe ſpicatis. GMELIN flor. Sibir. tom. 4. p. 203. t. 3. Optamus continuationem harum eclogarum.

XIII.

Plantae rariores, quarum primam decadem accurauit et illuſtrauit D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREW, S. R. I. Nobilis et comes Palatinus ac rell. poſteriorum curam et illuſtrationem ſuſcepit D. BENEDICTVS CHRISTIANVS VOGEL, Med. et Bot. Prof. Publ. Altorfinus, auxiliante arte ſua et toleratis ſumtibus ADAMO LVDOVICO WIRSING. Decas II. Norimbergae, ex officina Guſtaui Philippi Iacobi Bieling. MDCCLXXIX. fol.

Accepta erit omnibus botanicis haec operis ſplendidi continuatio, ſuſcepta a Cl°. VOGEL, aliis botanicis operibus iam Clariſſimo, atque adeo feliciter exſecuta, vt laudibus omnibus digna ſit. Cui quidem felici ſucceſſui profuit etiam plauſu omni celebranda munificentia perilluſtrium et generoſiſſimorum Academiae Altdorfinae Curatorum, inprimis PAVLI CAROLI WELSNERI, qua pictor plantarum, artis ſuae gnarus, adeſſet, qui plantas raras in horto Altdorfino florentes pulchre et accurate depingeret: tum etiam cura atque ars, quibus WIRSINGIVS eas in aes incideret, et imagines ad naturam viuis coloribus ornaret. Adeſt igitur iam penus pro tertia decade, quam absque intermiſſione ſecuturam eſſe pollicetur Cl. Auctor.

In illuſtrandis plantis ſecutus eſt TREWII normam ac methodum Cl. VOGEL, ſubinde tamen ab illa

illa receſſit, conferens partes fructificationis cuiusvis plantae cum charactere generis naturali. Praeter LINNEI genericum characterem, etiam ADANSONIANVM, tum quoque ordinem LINNEI artificialem, et Eiusdem ordinem naturalem cum Büttneriano titulo attulit: LVDWIGII autem claſſem, ordinem et genericum characterem breuiter tantum attigit, vel plane omiſit. His generatim ex Auctoris Cl[i]. praefatione excerptis, de ſingulis iam plantis videamus.

Traditur igitur

Tab. XI. *Craſſula obuallata* LINN. Circa genus hoc monet, ſe non poſſe adſentiri Cl[o]. SCOPOLI, qui genus *Craſſulae* cum generibus *Semperuiui*, *Rhodiolae* et *Sedi* ob conformem fructificationis partium habitum ſuo *Sedo* ſubdidit. Etenim, ſi ita limites generum protendantur, genera fierent familiae, quae rurſus in genera inferiora diuidi deberent, atque ſic ſpecierum cognitio difficilior redderetur: qua quidem in re non poſſumus non, quin cum Cl[o]. VOGEL faciamus. p. 2.

Tab. XII. *Craſſula cultrata* LINN. quae differt a Cr. obuallata, cui valde affinis, caulibus maioribus, inferius vltra eorum medietatem nudis, ſemper tortuoſis; foliis duplo fere minoribus, obtuſioribus, laeuioribus, obliquis, remotioribus; florum panicula magis arctata; petalis absque lamina ouali in vngue, germinibus magis gibbis et breuioribus. At conuenit cum eadem toto habitu, panicula glomerata, floribus minimis ſubluteis, petalis ſpatulatis globulo terminali, ſtaminibus inter petala enatis et piſtillis conniuentibus, recuruis. Etſi haec planta iam bene in DILLENII horto Elthamenſi depicta eſt, tamen, vt ne confundatur cum Cr. obuallata, vtrasque depingi curauit. p. 3.

p. 5. Tab. XIII. *Lepidium perfoliatum* LINN. Monet Cl. Auctor, in LINNEI charactere generico esse siliculam, non emarginatam, sed *subemarginatam*, non cordatam, sed *subcordatam*, nec polyspermam, sed *oligospermam*, valuulasque nauiculares dicendas: aliter enim haec planta Lepidii characteri non respondet.

p. 6. Tab. XIV. *Sophora coerulea*, foliis ternatis petiolatis, foliolis ellipticis glaucis, stipulis petiolo maioribus ensiformibus: a MILLERO Crotalaria alba in *Dict.* 5. num. 11. dicitur: facta est haec icon iuxta EHRETI iconem originalem. Legumen vidimus in hortis nostris; non est, vt LINNEVS dicit, longissimum et tenue; sed breuiusculum, pollicis longitudine, et subouale.

Tab. XV. *Tragia volubilis* LINN. Historiam et descriptionem huius plantae bonam tradit Cl. Auctor: icon tradita, ad EHRETI prototypum facta est.

Tab. XVI. *Atropa solanacea* LINN. Syst. veg. 13. p. 185. Ex charactere proprio tamen apparet, hanc plantam cum atropae charactere generico combinari non posse; sed potius ad solani characterem accedere. Corolla enim est magis *rotata*, quam campanulata, stamina corolla non longiora, nec distantia, sed *multo breuiora*, et *antherae conniuentes*, subcontiguae, apice poro gemino dehiscentes; bacca non globosa, sed subrotunda et apice punctato notata. Itaque, cum nec fructificatione, nec habitu, a solanis semoueatur, recte Noster colligit, hanc plantam solano, cui olim subdita erat, restituendam esse.

Tab. XVII. *Mespilus crus galli* foliis cuneiformiouatis subincisis serratis glabris, ramis subspinosis: ita dicit *Crataegum crus galli* LINN. sed forte ex errore typographico: etenim, quamuis Cl. Auctor cum HALLERO sentiat, qui genus *Crataegi*, *Sorbi*

et

et *Meſpili* coniungendum eſſe putauit; tamen in tabula nomen Linneanum manſit, neque mutationis rationem Cl. Auctor indicauit. Caeterum in diſtinguenda hac ſpecie omnem curam poſuit Cl. Auctor.

Tab. XVIII. *Anchuſa, italica*, foliis lanceolatis vndulatis, ſummis acuminatis; ſquamulis faucis corollae penicilliformibus. Magna eſt Auctorum in hac planta confuſio, cum in nonnullis *Anchuſae officinali* ſit perquam ſimilis. Differt autem ab *A. officinali*, haec *A. italica*, habitu ſtricto, ſtrigoſo, foliis vndulatis, ſummis ſemper acuminatis, bracteis flore minoribus, floribus pedunculatis, calicibus florum longitudine, quinquepartitis, laciniis linearibus, ſeminiferis non inflatis, conniuentibus, corollae limbo quinquepartito, ſquamulis penicilliformibus, ſeminibus maximis. Synonymiam huius plantae ſtudioſe determinare eſt anniſus Cl. Auctor.

Tab. XIX. *Saluia Canarienſis* LINN. Diſtinguitur ab aliis ſaluiae ſpeciebus, quod caulis ſit niuea laxa et multa lana obductus, foliorum figura triangulari haſtata et calix quaſi trifidus.

Tab. XX. *Impatiens noli tangere* LINN. nempe p. 22.
varietas *Virginiana*, ab EHRETO ſolo depicta, ad cuius prototypum haec imago facta eſt.

Caeterum praeterire nos oportuit doctas hiſtoricas et litterarias obſeruationes, et ipſas concinnas deſcriptiones, quas Cl. Auctor propoſuit, quae a Lectoribus ex libro ipſo ſunt repetendae: optamus modo, vt Cl. Auctor promiſſis ſuis ſtet, atque tertiam decadem proxime publici iuris reddat.

XIV.

FRANZ SALVATOR MORAND *vermischte chirurgische Schriften. Aus dem Französischen. Nebst einer Vorrede von Herrn D.* ERNST PLATNER. *Leipzig bey Christian Gottlob Hilscher,* 1776. 8. *Seitt.* 449. praeter praefationem et summam capitum.

i. e.

Miscellanea chirurgica scripta, auctore Cl. FRANCISCO SALVATORE MORAND.

Viri profecto in arte chirurgica periti scripta, duobus voluminibus comprehensa, ab ERNESTO PLATNERO in vnum coacta et collecta sunt volumen. Quod quidem, cum nihil vtile, sed amplius dicta tantum omissa sint, Lectoribus pergratum erit. Quinque capitibus hoc opus constat, quorum primum obseruationes varias, secundum super varias lithotomiae species animaduersiones, tertium practicas annotationes, quartum obseruata diario Regiae Academiae Parisiensi scientiarum inserta, et quintum vulnera sclopetorum complectuntur.

Primo capite sunt hae obseruationes: De vulnere capitis per bombardam manuariam. De abscessibus in cerebro. Carie cranii detecta et abscessu cerebri explorato trepanatio tentabatur, et pus dein feliciter cum corrupto cerebro euocabatur. Aeger quinquaginta et vnius annorum sanitati prorsus restituebatur. Hoc exemplo insensibilitatem totius cerebri demonstrari affirmat Noster, excepto centro ouali, cuius sentiendi facultas nota Nostro est ex aliis casibus; inprimis vero demonstrat hic sensibilitatem meningum ex iniectionibus, quae ingratum sensum effecerunt. Porro

p. 12.

ro

ro hic disputatur de abscessibus internis capitis, minime semper letalibus, modo pus possit euacuari, quod quidem hoc in exemplo naturae vi penetratum est. Omnino meningum extensio et vasorum compressio in pia matre, accumulatis interne impuritatibus, periculosiores a Nostro iudicantur, omni cerebri mutatione. Quatuor annos et quinque menses iamiam sanitate plena fruebatur hic vir, cum haec scriberet Cl. Auctor.

De magna fractura cranii. Frusta ossea in ambitu nouem pollicum erant. p. 16.

De amputatione femoris ex articulatione superiori. Est ea, vti Nostro videtur, tum instituenda, cum in ea cernitur vnicum remedium mortem arcendi. Persequitur hic Cl. Auctor difficultates huius operationis. Ac primum quidem est valde crudelis operatio, vulneris magnitudo consideratur, difficilis est haec amputatio, noxa etiam ex retractione musculorum oritur, de haemorrhagia praeterea timendum et denique de resorptione. Quibus illustratis, memoratu digna exempla animalium Noster enarrat, in quibus haec operatio facta est, additque hic Cll^orum^ VOLHER et PVTHOD de eadem operatione scripta. Prior hanc operationem in vitae periculo fieri posse ratur, cum haemorrhagia sedari et integumentorum ratio ita haberi possit, vt sanatio acceleretur et aditus aëris impediatur. Posterioris tractatus sex sectionibus absoluitur, quarum prima ostendit, quo modo inter operationem sit temperanda haemorrhagia: secunda, quo modo totum femur amputandum et limbus carnis resectae sufficiens sit relinquendus: tertia, quo modo, finita amputatione, sanguinis effluxus sit impediendus: quarta, quo modo vulnus et symptomata superuenientia sint tractanda: quinta, quando ea sit suscipienda, et sexta, quae bonae et malae in- p. 21. p. 33. p. 53.

de ſint exſpectandae ſequelae. His bene expenſis, concludit Cl. PVTHOD, hac operatione poſſe ſuccurri eiusmodi aegris, atque de eadem multa perutiliter collegit.

p. 92. De humero cum ſcapula auulſo a rota molae. Auctore Cl. BELCHIER. Aeger, etiamſi magnum ſanguinis profluuium paſſus, et auxilium commune aeque, ac chirurgicum diu dilatum eſt, tamen prorſus reſtituebatur ſanitati.

p. 96. Examen ſcripti de amputatione membrorum per Cl. BILGVER *). Non vbique conſentit Auctor cum Cl°. BILGVER, cuius tractatum Cl. TISSOT in linguam Francogallicam transtulit, qui quidem refutatur, quod quaeſtionem ab Academia Pariſina **) propoſitam aliter explicuerit, quam voluit Academia. Quae nempe minime omnino vrgebat in hac quaeſtione amputationem. Id quod quoque ex duobus commentariis praemio ornatis et a Cll. LE COMTE ***) et LE FAVRE perdocte elaboratis facile intelligitur.

p. 123. In ſecundo capite de variis lithotomiae ſpeciebus diſputatur. Malumus hic Lectores ad doctam, diligentem et completam tractationem, quam quoque a Cl. MORAND facile exſpectabit quilibet, legendam inuitare, quam quaedam breuiter tantum hic commemorare.

p. 306. Progrediamur ad practicas graues obſeruationes, quae ſimplicitate ſe commendant, quapropter quoque parcebat operationibus, easque, ſi inſtituendae erant, quantum fieri poterat, mitigabat. In prima ſectione chirurgici morbi abdominis et eorum operationes continentur. Ventriculo cibis pleno gladio perforato, vomitorium bis cum fructu propi-

*) v. comm. noſtr. Vol. X. p. 714.

**) v. comm. noſtr. Vol. II. p. 173. Vol. IV. p. 356. Vol. VI. p. 171.

***) ibid. Vol. IX. p. 81.

propinabatur. Suadet hic Noſter vomitoria ad vulnus imminuendum. Enarrat vero aliquot caſus, vbi hoc remedium plane nullum habet locum, e. gr. vomitu ſpontaneo ſ. ſanguineo praeſentibus, in quibus tamen quoque aliis remediis ſanatio eſt recuperata.

Abſceſſubus hepatis apertis, Noſter album p. 311. pus reperit, id quod raro accidit, plerumque colorem habet hepati ſimilem. Tumores fungoſi in- p. 313. teſtini recti eius ambitum ita anguſtant, aucta tumorum horum magnitudine, vt id prorſus claudatur. Abeunt quoque in carcinomaticam indolem, nec vllam tum admittunt ſanationem. Ruptum inde quoque eſſe inteſtinum Noſter obſeruauit. Fiſtu- p. 314. las ani et vrethrae cet. iam conſiderat, iisque ſuccurrendi difficultatem demonſtrat, et peregrina corpora interdum in iis obſeruauit, vt globum, acum cet.

Herniotomiam ſaepe et feliciter fecit Cl. MO- p. 323. RAND, et recte huius operationis felicem ſucceſſum illi tribuit propoſito, quod non diu eam diſtulit. Nimis coacta repoſitione rupturas inteſtinorum Cl. MARECHAL animaduertit. Enarrat No- p. 324. ſter exemplum viri quadraginta et ſex annorum, qui, praeſentibus ſymptomatibus maligniſſimis, hanc operationem feliciter paſſus eſt, eoque probat et tum poſſe eam ſuſcipi. In hernia, mortuo et diſ- p. 329. ſecto aegro, inuenti ſunt oſſicula parua ſuilla et nuclei ceraſorum, collecta in maſſam quandam et indurata. Alio tempore oſſicula veruecina ſunt reperta. p. 331.

De ſarcocele et impuritatibus variis in ſcroto p. 338. et eius operatione. In iuuenis teſticulo obdurato, p. 340. caſtratione exemto, vnus eius locus vere oſſeus erat.

De magnis latentibus abſceſſubus in renibus p. 343. et vicinis partibus. Nonnullis ſponte externeque ſeſe aperientibus, calculi exierunt *).

*) Vid. ſimile nec adeo crebrum exemplum icone illuſtratum

p. 347. De hydrope et hydrocele. Loco ſeri Noſter inuenit gelatinam ſpiſſiorem. Hydropem ſaccatum in feminas ſolas cadere et plerumque ouarium occupare miramur. Detegitur ab initio in vno latere. Intra decem menſes 427 menſurae aquae euocatae ſunt ex femina vna. Singula vice viginti menſurae emanarunt. Morte appropinquante paracenteſin crebrius inſtituere oportebat Noſtrum, et copia aquae ſubinde imminuebatur.

p. 351. De retentione vrinae, quae caſu ab alto orta erat. De alia, quae per commorationem in ouili curabatur. Non plura, quam tria exempla feminarum calculoſarum Noſter obſeruauit.

p. 353. De vulneribus thoracis. Per ventriculum cordis dextrum, diaphragma et hepar gladio quis perfodiebatur, et per nouem dies adhuc vixit.

p. 357. De vulneribus capitis. Trepanationem inſtituit in ſutura ſquamoſa cum felici ſucceſſu. Vrgente neceſſitate fontanella eſt aperienda. Cl. MERY intra ſexaginta annorum ſpatium ne vnum quidem trepanatione reſtituit. Id quod Noſtro mirum videtur. Cl. MARECHAL dimidiam partem eorum, quos trepanauit, amiſit in noſocomio. Alio tempore plus quam vicies operationem hanc fecit, et fere non in vno fruſtra.

p. 366. Ter feliciter naſi polypos Noſter extraxit. Si vuula nimis propendet, eam aliquoties diſſecauit.

p. 373. Femina ob ipſam hanc cauſam ita lenteſcebat, denegato victu, vt de morte timeret. Noſter arceſſitus laeſionem deglutitionis ab vuula nimis longa pendere ſentiens, ſuadebat operationem, quae votis et exſpectationi aegrae ſatis reſpondebat. Saepenumero Noſter,

luſtratum in diſſertatione, obſeruationes de calculis renalibus ſiſtente, quae Lipſiae prodiit, Auctore IOANNE DANIELE REICHEL. v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 425.

Noſter, et ſemper feliciter hanc operationem perfecit. Amputationis humeri ex articulo inuentio p. 386.
non in Cl. DRAN, ſed in patrem Cl. Auctoris cadit.

Finiunt hoc opus obſeruata iam, vti ſupra mo- p. 389.
nuimus, diario Pariſino inſerta et a nobis in noſtris commentariis indicata *).

XV.

D. CARL LEBRECHT SCHEFFLERS, *Churfürſtl. Sächſ. Hofmedici, Amts - Land - und Bergphyſici, und Med. Practici zu St. Annaberg, Abhandlung von der Geſundheit der Bergleute. Chemnitz bey Joh. Dav. Stößels Erben und Putſcher,* 1770. 8. *Seitt.* 243.

i. e.

Tractatus de ſanitate metallifoſſorum, auctore CAROLO LEBRECHT SCHEFFLER.

De ſanitate monticolarum, et praeſertim eorum, qui mineris effodiendis operam dant, vti in praefatione narratur, HIPPOCRATES et GALENVS, SENNERTVS, RAMAZZINI, PARACELSVS, PANSA et MATTHEVS KLINGEISEN, poliatri Annabergenſes, STOCKHAVSEN, AGRICOLA, RAMLOV, VRSINVS, KOCHLATSCH, ALBERTI, HENCKEL, HOFFMANN, aliique, quos Noſter breuitatis ergo ſilentio praeteriit, tractarunt. Summa huius libri cernitur in ſex ſectionibus, quarum *prima* agit de ſanitate in vniuerſum, *altera* perſequitur rationes, cur ſua aeque ac metallifoſſorum ſanitas curari debeat? *tertia* ſpectat differentiam ſanitatis metallurgorum et aliorum; *quarta* reſpicit ad conſuetudinem metallurgorum, quippe qua laeſio ſanitatis a metallurgo non tam facile et ſubito ſentitur;

*) v. comm. noſtr. Indic. tripl. Imae et IIdae decadis.

titur; in *quinta* proponitur modus ſanitatem metallurgorum conſeruandi, additis diaetae regulis, et in *ſexta* horum morbi in eſſentiales et accidentales diſpeſcuntur.

p. 23. Miſſis iis, quae in prima atque ſecunda ſectione diſſeruntur, ad ſectionem tertiam progredia-
p. 26. mur. Hic quaerit Noſter diſcrimen ſanitatis inter foſſores et alios homines in aere, vaporibus ſubterraneis variis mineralibus impraegnato, item in
p. 29. motu, porro in quiete et ſomno. Aer in fodinis vel eſt copioſus ac ſuperfluus, vel deeſt, vel ſubterraneis vaporibus ſingularibus mixtus. Differt itaque aer foſſorum ab aere atmoſphaerico.

p. 82. Remedia, quibus foſſores ſanitatem conſeruant, et quae iis morbos arcent, repetit Noſter ex diaetetico fonte. Ac primum quidem vrget Cl. Auctor accuratam corporis diſquiſitionem, num illud iis viribus validis praeditum ſit, quae neceſſariae ſunt foſſoribus. Id quod plerumque tam hic negligitur, quam in aliis vitae generibus: quemadmodum enim eorum corporum, qui militiae ſeruire cupiunt, natura accurate perluſtratur, num huic vitae generi conueniat: ſic quoque foſſores, et omnes omnino aliquod vitae genus electuri, deberent explorari, num corpus aptum atque idoneum habeant.

p. 85. Quapropter Noſter hic in modum inquirit, quo corpora eorum, qui foſſorum vitae genus eligunt, debeant explorari. Fortes, validi et ſani ſint iis inprimis parentes. Ab infantia nullis grauibus morbis, vti ſunt arthritis, ſcorbutus cet. ſubditi, ſed et omnino robuſto corpore praediti. Nec ſerius ociusve fodinas petant. Porro reſpiciendum eſt in iis ad robur vitale et ad mechanicum, hoc diſquirendum eſt metallurgis ipſis, illud phyſico medico. Non aetas quidem, ſed vires definiunt tempus, quando

ad

ad hos metallurgicos labores ſeſe accingere poſſint, interim tamen ante annum decimum et quartum ſeu quintum aetatis eos Noſter non admittit.

Iam diſquiritur, quid foſſoribus ſit obſeruan- p. 93.
dum, et ad quasnam diaetae regulas ſit iis attendendum. Omnes omnino ſubitaneae aeris viciſſitudines ſunt vitandae. Reſpiratione tarda ſunt fodinae adeundae, nec ſaliua eſt deglutienda. Non diu ibidem immorandum, neque ventriculo vacuo, ſed abſque timore iis laborandum. Antidotis contra noxias exhalationes eſt vtendum.

Item quaerit Noſter, num venena poſſint ar- p. 107.
ceri, et num iis, ſi in corpus ingeſta ſunt, queat reſiſti? Omne id, quod ſeruat humorum aequilibrium, arcet venena et omne id, quod aequilibrium humorum amiſſum reſtituit, venenis officit. Huc pertinet animi tranquillitas, mundities, balnea domeſtica et aquae minerales; motus lenis, antequam ad fodinas accedunt foſſores, aqua pura fontana cet.

Inter optima remedia praeſeruatiua, ſi foſſores p. 119.
iam cobalti exhalationibus infecti ſunt, refert hoc infuſum, quod paratur ex herbis ſaluiae, veronicae, floribus primularum veris, radicibus ſcorzonerae, bardanae, acetoſae, helenii, polypodii, liquiritiae, pimpinellae albae, leuiſtici, petaſitidis, dulcamarae, chinae ponderoſae. Item collutiones oris ex her- p. 170.
bis veronicae, capillorum veneris, radicibus diptamni albi et peucedani. Radici ipecacuanhae inſignem vim hic tribuit. Acidum antidotum contra ſaturnina a nonnullis inſigniter laudatum prorſus reiicit Noſter, quoniam tantum venenum per ſolutionem ſiſtit.

Ad diaetam foſſorum nunc ſeſe conuertit No- p. 123.
ſter, quae cernitur in diligenti ciborum maſticatione, nec in nimia repletione ventriculi, in ciborum

rum

rum electione accurata quoad ſanitatem foſſorum, in potulentorum modico vſu, inprimis quod ſpectat vinum et cereuiſiam, et calida potulentorum genera, vt Coffea et Thea. Puram aquam fontanam, quam inter praeſeruatiua remedia foſſorum ſupra iam Noſter retulit, omnibus reliquis potus
p. 146. generibus praefert Cl. Auctor. Somnum nocturnum quoque valde laudat, et inprimis iis ſuadet
p. 151. foſſoribus, qui aegrotare incipiunt. Excretiones duplici modo Noſter contemplatur, primo alui, vrinae et perſpirationis inſenſibilis, quae potiſſimum apud foſſores facillime turbatur, dein ſaliuae,
p. 165. ſanguinis et ſeminis. Ad animi commotiones attendere oportet foſſores, quarum moderationem inter praeſeruatiua remedia numerat Cl. Auctor.

p. 172. Venimus iam ad vltimam ſectionem, qua morbos foſſorum Cl. Auctor perſequitur. Eſſentialis morbus eorum eſt aſthma, quam ob cauſam a nonnullis aſthma metallicum ſ. montanum appellatur.

p. 184. Morbus foſſoribus valde communis, qui dicitur Germanice *die Bergſucht*, ſecundum Noſtri opinionem eſt febris lenta chronica cum glandularum atque pulmonum obſtructione, et defectu elaborationis, ſecretionis, nutritionis et appoſitionis, quae partim ab arſenicalibus particulis deglutitis, lympham in glandulis pulmonum et aſperae arteriae exſiccantibus, et proximam cauſam circulationis et denſitatis ſanguinis ſal catholicum in pulmonibus corrumpentibus, pendet, partim a diaetae et omnino regiminis erroribus proficiſcitur. Nutritionis enim defectus cernitur in laeſa digeſtione, quoniam in liquore gaſtrico, bile cyſtica et hepatica, ſucco pancreatico, liquore inteſtinali, muco et ſaliua, nec non in lympha glandularum conglobatarum, vires ſufficientes deſunt. Atque ita vires a ſale vitali, ſeu eo ſale, quod regulares motus

tus tuetur et vitae inimicis officit, pendentes, adeo ſunt diſſipatae, vt ſumme irregularis motus inteſtinus ſeu irregularis motus humorum inde oriri debeat. Excretiones ſunt, deficientibus ſecretionibus, ita vehementes in hac febre lenta chronica foſſorum, vt, viribus ſubinde diſſipatis, lympha nutritia et vis nutriens prorſus deſint, breuiter vt deſit lumen et vita, vita in fluidis, lumen in ſolidis partibus.

Deſcripta hac febre lenta chronica foſſorum, ad cauſas occaſionales et ſymptomata huius morbi Noſter progreditur. Cauſae occaſionales cernuntur in vigiliis nimiis, in excretionibus nimis copioſis humorum nobilium, vt ſeminis, in variorum vaporum inhalationibus, in repentina aeris mutatione cet. Foſſoris genitalia, vti in carcinomate, eroſa vidit. Id quod pluries Noſter obſeruauit, et adſcribit particulis arſenicalibus, et omnino mineralibus, quae hanc partem inprimis petunt, et eroſiones ibidem efficiunt. Vertiginem Noſter, quae prodit defectum plenum fluidi neruei cerebralis, ſignum mortis proximae certum iudicat in hoc morbo.

p. 133.
p. 190.
p. 169.

Quod remedia attinet, radici chinae ponderoſae multum virium tribuit in hac febre lenta foſſorum; item radici cichorei hortenſis. Corticis Peruuiani vſum in hac febre lenta prorſus reiicit Noſter, et loco eius multo vtilius radicem dictamni albi ſuadet. Ad dolores compeſcendos et ſomnum conciliandum ſequentem puluerem laudat. Recipe radicis dictamni albi drachmas duas, caſtorei ſcrupulum vnum, nitri depurati ſcrupulum dimidium, maſſae pilularum de cynogloſſa grana ſex. Miſce, diuide in ſex partes aequales.

p. 201.
p. 206.

Iam ad colicam ſaturninam Noſter venit, cuius diuerſitatem quoad ſymptomata quaerit in varie-

p. 210.

tate vaporum, arſenicalium, mercurialium, ſaturninorum, antimonialium, ſulphureorum cet. Arſenicalibus vero et ſaturninis vaporibus plurimum tribuit ad colicam ſaturninam efficiendam, quoniam in his fodinis hic morbus maxime graſſatur. Facilius eſt arcere hunc morbum, quam ſanare. Os et nares ſunt defendenda, vt vapores non adeo facile intrare queant; ſaliua non eſt deglutienda, ſomno in his vaporibus plane non eſt indulgendum; non ieiuno ventriculo adeundae ſunt fodinae, et inprimis antea et poſtea ſuadet lac tepidum, etiam aquam fontanam; ſpiritum vini, quem HENCKELIVS *) praedicauit, hic plane interdicit, eumque potius ad cauſas huius colicae refert.

p. 220. Inter remedia contra hunc morbum memorat Noſter ſaponacea, herbas lacteſcentes, antimonium diaphoreticum cet. Vnguenta vero et linimenta, a nonnullis hic laudata, prorſus reiiciuntur.

p. 222. Ad accidentales morbos, partim externos, partim internos, vt grauedo, catarrhales febres benignae, inflammationes, inprimis angina inflammatoria et eryſipelas, obſtructiones hepatis et lienis e. ſ. p., Noſter progreditur, et cum alibi de reliquis morbis dicere ſecum conſtituerit, inprimis hic de angina inflammatoria (*Bräune*) tractat. Lac in hac angina non conducit, et anginae eiusmodi curationem ſine vſu lactis et ſanguinis miſſione commemorat Cl. Auctor.

p. 231. Narratur exemplum, vbi arteria cruralis laeſa erat ſine ſubſequente haemorrhagia, atque ita inſcio chirurgo, ſuppuratione autem facta, liberabatur vulnus arteriae a compreſſione et haemorrhagia lethalis ſequebatur.

*) *Von der Bergſucht und Hüttenkatze, Freyberg* 1728. 8. c. f.

XVI.

XVI.

FRANCISCI GEBHARD, Medicinae et Chirurgiae Doctoris, Professor. Anatomiae Friburg. Publ. Ord. Artis obstetriciae Magistri, aduersaria medica. Cum tabula aenea, Basil. apud Io. Iacob. Flick. 1777. 8. pagg. 39.

Hic de hyperostosi tractatus complectitur descriptionem, differentiam, diuisionem, caussas, diagnosin et rationem medendi, additis nonnullis consectariis et adiecta tabula aenea.

Hyperostosis est praeternaturalis, longitudinem totam, latitudinem ossis, sphaeram, vel illius partem ad fines minus expandens, durus, renitens, osteocopo dolore obtuso fixo magis vel minus comitatus tumor. Substantiam ossis bracteatam omnem, plurimasque ossis regiones pro sede accommodare sibi posse obseruatur. p. 2.

Nonnullis de substantia ossis solida praemissis, hyperostoseos traditur differentia ab exostosi, nodis, tophis, carie vulgari, spina ventosa, paedarthrocace cet. p. 4.

Causa est virulenta semper a lue venerea. Methodus medendi cernitur in mercurio, potissimumque Noster suadet inunctionem prae reliquis mercurium exhibendi formis, quarum nonnullarum facit mentionem. Ac primum respondet ad obiectiones contra inunctionem, quae partim dosin, actionem incertam, dubiam cet. concernunt: Quibus absolutis, non negat prudentia et cautione magna exhibendi mercurium opus esse, nec omnibus hanc methodum destitui difficultatibus, atque asserit inunctionem mercurialem esse efficacem, potentem, et sub certo respectu infallibilem sanandi methodum, quae quidem suas habet difficultates, sed aliae aliis certe maioribus non carent cet. p. 16.

Icones ſiſtunt fruſtum tibiae, in quo ſubſtantiae oſſis compactae monſtrantur bracteolae ſeparatae, portionem inteſtini ilei ex puellula vnius anni cum hernia appendiculari eaque noua ſpecie. Eſt enim in Noſtri exemplo appendix a natura fabricata; tota inteſtini peripheria in proceſſum praeternaturalem abit, qui cum reliquo inteſtino vnum continuum eſt et eandem habet cauitatem. Quapropter hernias appendiculares diſpeſcit in originarias et factitias, vt eae herniae appendiculares iamiam obſeruatae diſtingui queant a Noſtri ſpecie noua, quam ideo herniam appendicularem originariam nominat. In eadem puellula ren vnicus inueniebatur, qui in corpore vertebrae lumborum vltimae ita ſitus fuerat, vt margo excauatus ſurſum ſpectaret, conuexus deorſum, quem hic in icone cum itinere vaſorum rel. ſiſtit.

XVII.

D. ADOLPH FRIEDRICH VOGELS *chirurgiſche Wahrnehmungen. Erſte Sammlung. Lübeck, bey Chriſtian Iverſen und Comp.* 1778. 8. *Seitt.* 78.

i. e.

Chirurgicarum obſeruationum faſciculus primus, auctore D. ADOLPHO FRIDERICO VOGEL *).

p. 11. 1) De methodo Noſtri cataractae operationis per extractionem, additis octo obſeruationibus. Conuenit plerumque haec cum Cl. RICHTERI methodo. Depurat e. g. quotidie oculum cet.

p. 27. 2) De aperta fiſtula lacrymali cum cancroſo aegylope. Aegra erat puella nouem annorum, cui ſcabies fuerat retropreſſa. Quo facto, aliis malis obortis,

*) v. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 29.

obortis, oculus quoque incepit illacrymari, et sensim, iniustis praeterea adhibitis medicamentis, haec fistula apparebat. Exstirpationem noluit Noster admittere ob impuritatem humorum, cui propterea internis humores corrigendi remediis succurrit, et carcinoma externis tentauit. Quod in melius vergebat, et interea scabies redierat. Decima octaua septimana praeterlapsa haec puella sanitati est restituta, qua, vti Nostro breue ante tempus relatum est, hactenus gaudet.

3) De oculi morbosi exstirpatione in puero quinque annorum post variolas relicti. Oculo toto exstirpato, choroidea erat degenerata in fungosam substantiam, et opticus neruus adipe indurata erat circumdatus. Orbita propemodum omnis carne sana erat impleta et operatio bene facta. Nihilominus moriebatur aeger ex causa verminosa, ad quam Noster, viuo adhuc aegro, quoque respexit. Nam dissecto cadauere, intestina cum ventriculo inflammata et sphacelosa et duos lumbricos inuenit, per quos haec destructio in abdomine erat effecta. Sedes mali et causa symptomatum multorum et grauium mortisque erat aperta in abdomine. p. 30.

4) De cancro labii inferioris oris. Erat cancer apertus, qui, cum externis remediis cedere nollet, feliciter exstirpabatur et sanabatur. p. 33.

5) Tumor maxillae inferioris durus oriebatur a carie dentis cum fistula. Remota dentis radice et particulis maxillae exemtis, hic tumor euanuit. p. 38.

6) De amputatione mammae cancrosae, quae ponderabat viginti vncias. Varia etiamsi accedebant mala, inprimis neruosa, tamen euentus amputationis respondere videbatur votis. At enim vero indurata glandula subaxillaris, ante amputationem non praesens, apparebat, quae adhibitis remediis non solum non cedebat, sed magis ma- p. 39.

 gis-

gisque crescebat, et cicatrix vulneris bene consolidata sponte aperiebatur. Rebus ita sese habentibus, aegra quotidie in peius vergebat et moriebatur Iunio 1777.

Noster putat, si amputatio, quae Iulio 1775 erat facta, non adeo dilata et fonticulo, qui suadebatur, ab initio denegato sensibilitas et irritabilitas nimia aegrae imminuta ac selectior diaeta seruata fuisset, hanc aegram amputationis ope potuisse sanitati restitui.

p. 49. 7) Officulum veruecinum inter esum oesophago sese impingebat. Id quod quidem noto instrumento protrudebatur, attamen non poterat in ventriculum immitti. Multis incassum adhibitis remediis, aegra insigniter debilis et anxia ob dolores cet. morti sese maxime appropinquabat. In mentem Nostro autem incidebat vncus, quem nonnulli, vt TISSOTVS, proposuerunt, quem ideo emendatum ita feliciter applicuit, vt corpus peregrinum, quod per oesophagum extrahi nequibat, penetraret in ventriculum. Filum ferreum nempe Cl. VOGEL fabricari curauit cubitale, acus textoriae crassitie dupla, quod candefactum est ad eius asperitatem impediendam, cuius vtraque extrema reflectebantur, et acumini cuiuslibet extremi reflexi paruus plumbeus globulus ferruminabatur, ne oesophagus laederetur. Vtraque extrema huius fili versus vnum idemque latus flexa erant vt eius directio in oesophago obseruari posset. Quo itaque emendato vnco feliciter applicato, aegra insigniter laeta deglutire poterat sine conuulsionibus, et alia crudelia symptomata quoque cessabant. Quamquam autem multis remediis inflammationi officiebatur, tamen primo instrumento imprudenter applicato, abscessus parui oriebantur, et quaedam symptomata non diu post redibant, cum corpus peregrinum

num penetrauerat. Quibus vero ruptis, quarta in ſeptimana purgante medicamine magna purulentae ſanguinolentae materiei copia eſt per anum eiecta, et aegra octaua ſeptimana huius morbi diaeta et vulnerariis cum cortice Peruuiano cet. decoctis ita ſanitati eſt reſtituta, vt plane nihil haberet, de quo conquereretur. Laudat Noſter admirandam huius aegrae obedientiam.

8) Caſtrationem teſticuli, qui, equitando et tuſſi p. 55.
accedente, per tres annos valde doleret, et in carcinomaticam vergebat indolem, cui multis remediis interniset externis, et ob ſuſpicionem luis etiam antiſiphylliticis fruſtra ſuccurrebatur, ita feliciter Noſter fecit, vt, decima ſeptimana praeterlapſa, aeger ſanus euaderet. Conuulſiones, vti Noſtro videtur, non p. 59.
proficiſcuntur a ligatura nerui et vaſis ipſa, ea enim eſt neceſſaria, ſed a nimis magna elaſticitate vaſis, qua ſubito et valde ſeſe retrahit. Itaque ligatura ipſa non efficit conuulſiones, ſed methodus, qua ligetur.

9) De amputato antibrachio. Abraſio peri- p. 63.
oſtei eſt ſuperflua et inutilis. Ligaturam praefert Noſter agarico cet.

10) De exſtirpata in inteſtino recto excreſcentia, quam ortam eſſe putat Noſter a ſinu mucoſo inteſtini recti, qui per annum creſcebat et tandem per grauitatem ſenſim partem inteſtini protrahebat. Qua feliciter et funditus exſtirpata excreſcentia, poſt horam praeterlapſam magna copia feculentae materiei cum ſanguine emittebatur, de nullis doloribus aeger conquerebatur, edebat et dormiebat, inſtar ſani, aluum quotidie deponebat, et nonnullis diebus praeterlapſis lectulum reliquit.

11) Miſcellas inter obſeruationes haec leguntur: 1) Vulnus colli a melancholico ſibi illatum lethale; 2) monſtroſum infantem deſcribit Noſter

 ſine

ſine ſuſpicione imaginationis laeſae matris; 3) decoctum ſaſſaparillae in venereis morbis externis eſt vtile; 4) emplaſtrum Bechholzianum in oedemate et duritie poſt ſcirrhos eſt vtile; 5) extracti aconiti vſus in rheumaticis et arthriticis doloribus exemplis a Noſtro confirmatur. Paruam doſin primum exhibebat Noſter, et ſimul monet, extractum aconiti anno vetuſtius efficacia ſua deſtitui.

XVIII.

Berliniſche Sammlungen VII[ter] Band, 1—6[tes] Stück. Berlin bey Joachim Pauli, 1775. 8. *Seitt.* 608. *m. K.* *). *VIII[ter] Band,* 1776. *Seitt.* 724. *m. K. IX[ter] Band,* 1777. *Seitt.* 724. 8. *X[ter] Band,* 1779. *Seitt.* 724. 8.

i. e.

Collectanea Berolinenſia, Vol. VII. VIII. IX. X.

Vol. VII. p. 5. In primo faſciculo: 1) *Tentamen, quo modo cauſae de mutatione climatis explicari poſſint, quae in America meridionali adnotata eſt.* Auctore HOG. WILLIAMSON **). Cauſſas ponit Cl. Auctor in mutata telluris ſuperficie, a cuius cultura, ſiluarum imminutione, et paludum exſiccatione temperies pendet.
p. 22. 2) *Miſcellae relationes de nonnullis raris conchyliis.* Cl. MARTINI ex PALLASSII ſpicilegiorum zoologicorum faſciculo decimo icones rariorum conchyliorum repetit: nempe *Turbinis principalis*, *Buccini Geuerſiani*, et *Helicis Lyonetianae.* His ſubiungit iconem *Helicis decollatae* LINN. atque de priorum raritate et poſterioris natura varias notatu dignas obſeruationes.
p. 44. 3) *De ratione ceram dealbandi tentamina* Cl. BECKMANNI referuntur.

*) Praecedentes tomos, inſtituti rationem et plenum titulum v. comm. noſtr. Vol. XXII. p 307.

**) v. Journal de Sçavans Octobr. 1773.

tur. Salibus acidis, praesertim acido nitri, eam perfecit. Etiam commixta cum argilla fullonum cera alba facta est. 4) *Collectae oeconomico-physicae res.* p. 55. In ventris fluxu vtiliter exhibetur decoctum pul- p. 62. taceum ex duobus plagulis papyri albi et vna mensura lactis hominibus et pecoribus. 5) *Noua me-* p. 70. *dicamenta. Contra tineam.* Siccentur viui bufones vase prudenter clauso leni igne ita vt in puluerem mutari queant, quo, capite antea lardo illinito, caput inspergitur, et dein illud vesica humida et linteis tegitur. Post 24 horas tinea sine doloribus disparet. Quod si tum caput lardo aliquoties praeterea inungitur et fouetur, cicatrices quoque abeunt *). *Con-* p. 71. *tra scabiem epidemicam* liquor nitri fixi profuit. Praeterimus alia sympathica et sane incerta remedia. 6) *Continuatus nouus index scriptorum va-* p. 86. *riorum.*

In secundo fasciculo: 1) *De peste in Oriente,* cu- p. 118. ius causam quaerit Noster in aquilone fortius flante, quam in Graecia, accedit et calor magnus. 2) *Breuis descriptio* Blennii Galeritae: cuius icon p. 128. additur. Crista capitis duplex intra oculos, hydrae similis est: duae aliae filosae insident radiis pinnae dorsalis: alia pone membranam branchialem conspicitur. 3) *De remediis, potus genera refrigerandi.* p. 132. Recensentur inuenta et tentamina physicorum variis salibus frigus artificiale producendi, quibus etiam potus refrigerari potest. Praesertim ex tentaminibus KOLLENII patet, liquores refrigerantes mediante eorum exhalatione agere, et quo maior est exhalatio, eo maiorem etiam esse vim refrigerandi. Probabilis etiam videtur KRÜGERI coniectura, qua frigus a materia quadam salinae indolis

 produci

*) Laudatur hoc remedium quoque contra cancrum. v. comm. nostr. Vol. XVI. p. 414. Vol. XIX. p. 516. in vrinae incontinentia ib. Vol. XVI. p. 495.

p. 147. produci existimat. 4) De nonnullis Islandiae notabilioribus naturae productis: excerptum ex itinerario TREMARECII. De ligno fossili, nigro, quod findi et instar ligni tractari potest, nec tamen vegetat: certe nihil aliud videtur, quam lignum bitumine penetratum et induratum. *Lichene Islandico* cum lacte fruuntur incolae, eumque cibum gratum habent. Ouium culturae maxime incolae operam dant, quae magnum frigus perpeti valent, ita, vt saepe sub niue sepultae sint. *Anatis mollissimae* plumis eo tempore potiuntur incolae, quo femina ouis incumbere incipit. Tum enim his plumis nidum molliorem reddunt. Praeterea magna
p. 165. piscium copia in insulae oris capitur. 5) *Collectio medicarum rerum memorabilium.* De morbo neruoso peculiari. Non edit aegra, nec bibit, nec dormit, calet vero et olet, oculi lucent, labia rubent, lingua est vti sani, facies non ingrata, anima non foetet, etiamsi per vnius anni spatium neque alui, neque vrinae excretiones habuerit. Similia exempla iam alibi*) proposuimus.

p. 229. In tertio fasciculo traditur 1) relatio de molestiis a pluuia et insectis in Guiana obortis: ex descriptione BARRERII excerpta; 2) litterae BONNETI ad Cl^um^ RIEM, subiunctis a posteriore annotationibus. Concernunt eae naturam apis mellificae, atque controuersas de iisdem opiniones combinare operam dant Auctores. Notemus quaedam. Cl^us^ RIEM affirmat, apes mellificas, neutras habitas, oua ponere, e quibus mares s. fuci gignantur. Negat iterum RIEMIVS, ex qualibet apis larua posse
p. 271. educi apem reginam. 3) NEEDHAMII obseruationes microscopicae versae a Cl° GOEZE, cum quibusdam annotationibus. 4) De brassica oleracea botryte s. cauliflora, hieme producta, colenda.

Vbe-

*) v. comm. nostr. Vol. XXII. p. 547. Vol. XXIII. p. 579.

Vberior tractatio, quae in quarto fasciculo continuatur. Regulae clare distincteque proponuntur.

Ex quarto fasciculo notamus tractatum, in quo p. 383. insecta libris noxia variaque iis occurrendi adminicula recensentur. Depinguntur officula, Raiarum cuti instar squamarum spinosarum innata. Quae p. 397. praeterea ex Gallorum diariis excerpta sunt, ea quidem, cum non satis definita sint, si vel noua videantur, praeterire cogimur.

Quinto fasciculo traditur diatribe de vtilitate p. 476. pomorum, quam, vti satis cognitam, hic demonstrare nolumus. Sequitur continuata nouorum remediorum enumeratio, inter quae reperitur oleum p. 511. oliuarum, quo, si corpori illinatur, hydrops tolli dicitur. Sit fides penes Auctorem! De ferro na- p. 514. tiuo. Colliguntur variae Auctorum sententiae, atque qui illud assumserunt nominantur, quibus etiam Auctor anonymus adsentitur, refert.

Sexto fasciculo Cl. TITIVS, Prof. Witeb. vtilita- p. 583. tem cygnorum demonstrat; atque excrescentiam, a cynipe productam, in gemma quercus vberius describit. Amenta coryli oleum sapidum praebere narratur. RAMICH, chirurgus, sub arena circum Spandouiam margam esse reconditam, atque corticem pinus siluestris vtile esse remedium in diarrhoea, fluore albo et gonorrhoea, refert.

In octauo volumine haec continentur: Vol.

In primo fasciculo haec notanda inuenimus: VIII.

1) Exemplis lectu dignis vtilitas historiae naturalis p. 1. demonstratur, quae quidem exempla ex LINNEI dissertatione de hac materie excerpta sunt; 2) re- p. 56. feruntur exempla, quibus imaginationis maternae grauidarum vis in fetum demonstrari videtur: quae quidem iis sunt similia, quorum saepe iam mentionem iniecimus *); 3) ERXLEBENII disquisitio p. 63. alu-

*) vid. comm. nostr. dec. I. et II. ind. tripl. sub voce *imaginatio.*

aluminis Grauenhorſtiani ex comment. Soc. Gottingenſis repetitur.

p. 118. Faſciculo ſecundo 1) deſcribitur lampas iis, qui litterarum ſtudiis operam dant, commoda: cu-
p. 137. ius addita eſt icon; 2) de variis animalibus in regno Siamenſi inueniendis notatu digniſſima ex TVRPINI hiſtoria de hoc regno *) referuntur. De *Elephante* inter alia notemus varietatem eiusdem *al-*
p. 148. *bam* et *nigram* dari, easque magni haberi. Sympathia ſinguiari erga homines, qui ei cibos offerunt, vti etiam erga ſimias fertur: magnam contra antipathiam fouet erga Tigrides, Crocodilos et Gallinas. Varia de ratione eum venandi atque domandi. Adduntur alia, ſed ſatis cognita de *Rhinocerote*, de *Tigride*, de *Felibus*, *Onca* et *Pardalide*, de *Viuerra zibetha*, quam translator male pro *Moſcho moſchifero* LINN. venditat, *Mure moſchifero* et *Boe bubalide;* 3) nouorum remediorum collectio con-
p. 168. tinuatur. Inter alia clyſmata ex Coffea in morbis ſoporoſis multum prodeſſe, atque exemplum apoplectici aegri illis ſanati refertur.

p. 229. In tertio faſciculo traditur 1) breuis hiſtoria de *Ammodyte Tobiano* et *Eſoce Belone* LINN. iunctis eorum iconibus, quae ex ASCANII iconibus translatae ſunt. Prior praebet *Delphino* nutrimentum;
p. 237. 2) BORNEMANNI tractatus de carbonibus et iis, qui tam ex ligno, quam turfa arte vruntur, et de foſſilibus, nempe lithanthrace vulgari, et anthrace minerali; ita enim lignum foſſile bituminoſum appellat. De modo hos carbones parandi iisque
p. 251. vtendi diſſerit; 3) MVRRAYI de *Peloria* obſeruata breuiter recenſentur, e quibus eam non plantam hybridam, ſed varietatem Antirrhini, eſſe patet;
p. 254. 4) de animalibus Siamenſibus continuata relatio: nempe

*) Hiſtoire civile & naturelle du Royaume de Siam, publ. par Mr. TURPIN. Paris 1771.

nempe *Vrſum arcton, Suem ſcrofam, Ceruos, Capreolos, Moſchum pigmaeum, Simiarum* diuerſas ſpecies, quae tamen non diligenter ſatis definiuntur, *Lemurem volantem*, niſi ſit Sciurus, Draconem volantem, Lacertarum varias ſpecies, Chamaeleontem, Teſtudines, Erinaceos, Hyſtrices et Daſypodes illic habitare refertur. Caeterum nec deſcriptiones, neque obſeruationes notatu digni quid continent; 5) Oeconomicophyſica obſeruata: e quibus notemus, adipem cetaceorum cum aqua mixtam chryſomelis oleraceis infeſtam eſſe, easque a plantis, quibus veſcuntur, abigere: Clum IACOBI ex carbonibus vitis viniferae obtinuiſſe colorem coeruleum, qui ex alcali fixo, quod cum phlogiſto vitis proprio vnitur, oriatur, hunc colorem pictoribus vtilem fore putat.

Ex quarto faſciculo notemus, hiſtoriam *Corui* p. 359.
borealis albi cum icone ex ASCANIO tradi, deinde collecta eſſe varia plantarum genera, e quorum ſeminibus, vel corticibus, vel radicibus, variae gentes panem parare ſolitae ſint. Praeterea nouo- p. 384.
rum remediorum collectio continuatur. Radix *Orchidis*, quae hic Fabaria, Telephium, Portulaca agreſtis dicitur, ſanaſſe fertur haemorrhoides coecas. Contracturas et paralyſes iuuit vnguentum p. 400.
ex vitello ouorum recenti cum tribus aquae fontanae vnciis trito paratum, frigide et tepide parti laeſae illitum.

In quinto faſciculo nonnulla de naturae pro- p. 453.
ductis Americae recenſentur, praeſertim de animalibus: translator nominibus triuialibus ſyſtematica ſubiungit. Sextus faſciculus exhibet: 1) anecdota nonnulla ad inſecta exotica, excerpta ex itinerariis nouiſſimis; 2) deſcriptiones inſectorum Ruſſiae, huc ex itinerario Cli LEPECHINI translatas; 3) arbores et fructus regni Siamenſis ex

ex TVRPINO recenſentur. Caeterum in omnibus faſciculis nouorum librorum catalogus continuatur.

Vol.IX. Voluminis noni tractatus praecipui ſunt hi: 1)
p. 1. Cl[i] LE ROY et GODEHEU DE RIVILLE de phoſphoreſcentia aquae marinae, verſi ex Actis aca-
p. 44. demiae Pariſinae *); 2) Relatio de notatu dignis phyſicis rebus inſularum nouarum, pone Kamtſchatkam detectarum. Corpora naturalia non bene ſunt deſcripta, ſed nomine tenus tantum indicata;
p. 59. 3) obſeruatio de aſthmate ſingulari, Auctore D. BETBEDER. Illud aſthma neque humidum, neque ſiccum, nec conuulſiuum eſt. Conſiſtit in reſpiratione moleſta, ad ſuffocationem aucta: piſtoribus potiſſimum eſt proprius morbus. Aeger ſumme eſt debilis, neque adeo viribus pollet, vt os aperire et aërem reſpirare valeat: atque anxietatem et ſuffocationem ſentit, quam omnibus viribus vix ſuperare poteſt. Pulſus erat paruus contractus, et muſculi omnes fere immobiles. Mors inſequebatur, iis ſymptomatis ſtipata, quae in animalibus ſpatio aëre vacuo morientibus obſeruantur. Cauſſam huius aſthmatis ponit Auctor in obſtructis ſubtiliſſimo farinae puluere bronchiis. In medendo huic morbo vis muſculorum irritabilis incitanda, ingreſſus ſanguinis in arterias pulmonales accelerandus et tuſſis excitanda videbantur Auctori. Ideoque potum ex aqua meliſſae, hyſſopi, cinnamomi; ſyrupo de eryſimo, floribus benzoës et ſpiritu ſalis ammoniaci exhibuit alii aegro, quem cochleatim quacunque dimidia horae parte ſumat. Hoc remedio ſex horis praeterlapſis materies viſcoſa exſpuebatur, et reſpiratio leuior erat. Tertio die poſt qualibet tertia hora drachmam conſeruae enulae campan. ſumſit, et, loco potus, infuſum hyſſopi ſaccharo

*) vid. comm. noſtr. Vol. X. p. 392.

ſaccharo edulcoratum. Quibus remediis reſtituebatur aeger; 4) de morbo, a ſingulari polypoſa concretione in inteſtinis reperiunda, cum excrementis aluinis deiecta; 5) de piro communi, quae duabus vicibus per annum floreret, ſic vt ex fructu pedunculus oriretur, cui deinde flos innatus erat. p. 64.

Ex altero faſciculo indicamus ſolam HAGENII deſcriptionem noui, vt Auctori videtur, plantarum generis, quam florem Hottentottarum, ſ. Rediuivam appellat. Sed vehementer fallitur Auctor: planta enim deſcripta et depicta non eſt, niſi *Calendula capenſis* LINN. p. 114.

In tertio faſciculo notanda videtur SALCHOWII confirmatio remedii variolas praecauendi, quod nempe in ſanguinis ex funiculo vmbilicali contenti repreſſionem verſus placentam conſiſtit *). Expertus enim eſt, in epidemia vehementiſſima omnes infantes, in quibus illa manipulatio adhibita fuit, a morbo hoc liberos manſiſſe. Optat nunc, vt medici hoc remedio vtantur, atque deinde infantibus variolas inſerant, vt inde eiusdem vſus certior fiat; 2) *de vſu ſalis Glauberiani in lue bouilla*, quem magnum eſſe affirmant GRAVENHORSTII fratres, atque methodum, qua exhiberi debeat, proponunt. Confirmat etiam WAGLERVS, plurimos boues huius remedii vſu eſſe a morte ereptos; 3) *de vſu balſami Brunſuicenſis in podagra*, ſi interne ſimul ſal Glauberianum adhibeatur. Commendatur balſamum hoc etiam a WAGLERO, vti et a Cl° THEDEN. Indicatur methodus, qua adhibendum ſit, et plura teſtimonia eius vis adferuntur. p. 230. p. 247. p. 262.

In quarto faſciculo LEEUWENHOEKII epiſtola centeſima trigeſima quarta de aphidum Ichneumonibus **), et Cl[i] CVRTIS relatio de terra Labradorica

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 309.
**) vid. EIVSD. opp. T. III. L. B. 4. 1722. p. 263.

rica *) verſae traduntur, atque deinde Cl. SCHOBELT *de tumoribus mammarum lacteis* agit, nihil tamen noui vel notatu digni profert.

In quinto faſciculo cognita margae vtilitas in fertiliorem reddendam terram demonſtratur. In ſex-
p. 559. to ex itinere Cl[i] PHIPS verſus polum borealem animalia illic reperiunda indicantur, atque noua quaedam inſecta depicta ſiſtuntur, vt *Cancer Boreas*, macrourus, thorace carinato, aculeato, manibus laeuibus, pollice ſubulato incuruo: *Cancer Ampullae*, macrourus, articularis, corpore ouali, pedibus quatuordecim ſimplicibus, laminis femorum poſtici paris ouato-ſubrotundis: *Cancer Nugax*, macrourus, articularis, pedibus 14 ſimplicibus, laminis femorum ſex poſteriorum dilatatis, ſubrotundo
p. 581. cordatis. Noui vermes depicti ſunt: *Sipunculus Lendix*, corpore nudo cylindraceo, apertura ſubterminali: *Clio helicina* nuda, corpore ſpirali: *Clio limacina*, nuda corpore obconico; *Buccinum carinatum*, teſta oblongo-conica, tranſuerſim ſtriata, anfractibus ſuperioribus oblique obtuſeque multangulis, inferioribus vnicarinatis. *Turbo helicinus*, teſta vmbilicata conuexa, obtuſa, anfractibus quatuor laeuibus. *Sabella fruſtuloſa*, teſta ſolitaria libera, ſimplici, curuata, fragmentis conchaceis ſabuloſisque. Singulare vermis genus, quod Auctori *Synoicum turgens* dicitur. Eſt Alcyonio affine, ſed differt, quod vermis tentacula non exſerere valet.
p. 598. Sequitur plantarum catalogus. Deinde de notatu digno partu refertur. Vagina vteri contracta et indurata, HENKELIVS aduocatus, vaginam a parte poſteriore verſus inteſtinum rectum iuxta longitudinem vna cum collo vteri et vicinis partibus diſſecuit, vt fetum viuum extrahere poſſit. Mater etiam ſanata eſt.

Volu-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 122.

Volumine decimo atque vltimo huius colle- Vol. X. ctionis sequentes tractatus comprehenduntur:

1) HALLERI *de lue bouilla agri Bernensis:* ea videtur a peripneumonia incipere, quae deinde in inflammationem pulmonum et phthisin abeat. 2) *De fulguris ictu*, quo homo percussus est. Describitur progressus eiusdem in domo, atque laesiones, quae in mortuo animaduertebantur. Phaenomena obseruata demonstrant quidem similitudinem materiae fulguris cum electrica: interim intercedere etiam videtur notabilis differentia. Fulgur enim stanneas laminas fudit, nec tamen lignum adussit; vitrum diffregit, pilos combussit, et pannum ex lana confectum non tetigit. 3) *Methodus, aquam mul-* p. 31. *sam parandi.* 4) *De Chalcedonio:* eiusdem descri- p. 38. ptio, et varietates.

5) *Chirurgica tentamina, cum cortice Peruuiano* p. 49. *instituta.* In grauida, mamma vlcere sinuoso affecta, iniectiones ex decocto corticis Peruuiani aquoso filtrato, atque cum eodem factae fomentationes, iuncto corticis interno vsu, adeo prosperos effectus prodiderunt, vt post quinque dies mulier integre sanitati restituta esset. Sic etiam puluis corticis, vulneri a contusione complicata in spina tibiae copiose inspersus, illud trium dierum spatio sanauit: similem prosperum effectum edidit in vulnere tendinis Achillis.

6) *De haemorrhagia vehementi, quae singulis* 12 p. 55. *horis reuertebatur.* Primis vicibus simul vnciae decem sanguinis emanabant, sed venaesectione atque clysmatibus adhibitis sexto die haemorrhagiae cessabant. Interim hoc tempore aeger circiter libras quinque sanguinis perdidit.

7) *Descriptio Xiphiae*, Auctore WALBAVM. p. 70. Praeter pinnas vulgares etiam duabus pinnis adiposis a latere caudae instruitur. Dentium loco in

palato ſunt 12 aſpera tubercula, et pone branchias infra duo longi aſperi calli. Veſcitur hic piſcis Zoſtera, Fucis, piſciculis et inſectis marinis. Exemplar deſcriptum pondere aequabat 167 libras.

p. 81. 8) *Contra podagram* iterum laudatur gummi guaiacum, quod ſi in ſpiritu ſacchari, qui Taffia dicitur, ſolutum fuerit, atque huius liquoris quotidie cochlear deglutiatur, certiſſimum remedium, quod penitus morbum tollat, praebere dicitur.

p. 95. 9) P. HENNE *relatio de Malo fructu magno, albido glaciato*, a Cl° DU HAMEL, *pomme de glace transparente*, dicto. 10) Epitome *hiſtoriae naturalis Iaponiae a* KAEMPFERO traditae. 11) Obſervatio de piſo in tracheam deglutitione illapſo. Medicus venaeſectionem et vomitoria ſuaſit, quae aeger recuſabat: atque aliis medicis aduocatis, duobusque diebus conſultando praeterlapſis, morboque ſemper magis adaucto, medicus primus tandem clanculum ſyrupo, quo vtebatur aeger, immiſcuit tartarum emeticum; atque ſic vomitu piſum excernebatur, atque aeger reſtituebatur. 12) MARGGRAFII *chemica experimenta* cum veſicae calculis inſtituta: de quibus iam ſupra *) diſſeruimus.

p. 204. 15) *De methodo polypo naris medendi*; feliciter eadem eſt ligationis ope peracta, etſi, cum polypus permagnus eſſet, vt totam naſi cauitatem impleret, adeo, vt radix polypi non attingi poſſet, difficilem operationem redderet: inuenit igitur Auctor inſtrumentum, quod cochleari obtuſo ſimile eſt, huius ope tandem ligaturam adhibere potuit, atque ſic maxima ex parte polypus ſublatus eſt. Quae relinquebantur cauſticis medicamentis ſuſtulit. Inſtrumentum in tabula aenea delineatum ſiſtitur.

p. 242. 16) *Hominem maleficum ſuſpenſum*, poſtquam iam 19 minuta prima horae pependiſſet, a GLOVE-

RO

*) vid. hui. dec. ſuppl. II. p. 219.

RO *vitae restitutum* esse refertur. Remedia in suffocatis alias adhiberi solita successu non caruerunt.

17) Electricitate ex ouis pullos exclusos esse narrat Cl. ACHARD. Nempe electricitatis gradum, qui calori 32 graduum aequalis est, adhibuit, oua orbi stanneo imposita per octo dies et noctes continuo in eodem caloris gradu electrico habuit, atque aperto ouo omnia indicia euolutionis animaduertit. p. 261.

Praeterire cogimur plura aliunde sumta, etsi lectu digna. Caeterum in omnibus voluminibus, praesertim in posterioribus, nouorum librorum catalogi, et breuis de eorum contentis relatio continuantur; vt igitur haec collectio iis, qui eruditorum libros cognoscere cupiunt, et qui diaria eruditorum ipsa legendi occasione carent, vtilis et accepta futura sit. Huic postremo volumini index in omnia decem volumina adiunctus est.

XIX.

ANTONII DE HAEN, quondam S. C. R. Apostol. Maiestati a consiliis et archiatri, medicinae in alma et antiquissima Vniuersitate Vindobonensi professoris primarii etc. Praelectiones in HERMANNI BOERHAAVE institutiones pathologicas. Collegit, recensuit, additamentis auxit, edidit P. DE WASSERBERG. Tomus I. Viennae, ap. Rudolph. Graeffer MDCCLXXX. 8. pagg. 567.

Totum hoc opus constat voluminibus quinque, quorum primum complectitur, exceptis prolegomenis, morbi naturam, morbos similares atque organicos. Hoc vt prodiret in lucem, atque tironibus rei medicae prodesset quam maxime, b. HAENIVS moriens vehementer exoptauit. Quam in

rem Cl. STOLLIO huius operis edendi cura tradebatur, is vero, negotiis innumeris, iisque grauissimis immersus quasi, hanc Cl. DE WASSERBERG, assiduo BOERHAAVII discipulo, commisit. Legimus in prolegomenis historiam medicinae inde a primo illius initio vsque ad nostra tempora deductam. Certum enim est atque perspectum, primos homines casu et experimento atque ex belluis ipsis didicisse herbarum aliarumque rerum vsum in morbis insignem, eosque, quae obseruarunt, ne obliuioni traderentur, ea in tabulas retulisse, ad columnas templorum parietumque affixisse, immo aegros in vias publicas, vt, quicunque transiret, consilium daret, exposuisse. Quo haec ars in dies creuit, praesertim, cum animalia occiderentur viua et cadauera hominum inspicerentur, vsque ad HIPPOCRATEM, Coum senem, principem medicorum omnium. Quo mortuo, THESSALVS et DRACO, filii HIPPOCRATIS, nec non POLYBIVS, eius gener, philosophia exculti medicinam ita perturbarunt, vt magis obnubilarent, quam planiorem redderent. Veram et genuinam contra tuebantur CORN. AVREL. CELSVS, ARETAEVS, CLAVD. GALENVS, qui tamen hanc sub auctore ARISTOTELE placitis suis peripateticis mirum in modum foedauit. Atque hoc non, nisi initium malorum fuit, quae alia longe maiora exceperunt. Nam, ineunte seculo V. Vandali, Hunni, Gothi, ferro et igne deuastarunt omnia, innumeras dederunt flammis bibliothecas rapidissimis, suisque expeditionibus multis et crudelissimis studium litterarum et bonarum artium plane interruperunt, donec Arabes has excolere inciperent. Initio enim seculi noni, Princeps eorum ALMAMON ABDALAH legatos misit Constantinopolim, vt libros scientiarum quarumuis ab Imperatore peterent, atque in Arabicum

con-

conuerterent ſermonem, quo ſuos excitaret eo magis ad excolendas litteras, quae ſic migrarunt ex Graecia in Latium, atque ex Latio in Hiſpaniam ad Arabes.

Quum vero anno MCCCCLIII Conſtantinopolis vrbs, ſubruto fere Orientis imperio, a Muhammede II. capta eſſet, EMAN. CHRYSOLORAS, THEOD. GAZA, CHALCONDYLAS, TRAPEZVNTIVS, PLETHO, GENNADIVS, aliique multi ex Graecia in Italiam cum ſuis Mſtis fugerunt, ibique, praecipue Venetiis, Florentiae, Romae, ſedem fixerunt ſuam; ex quibus codicibus in bibliotheca Regis Galliae aſſeruatis multa cum eruditis communicauit BOIVINVS. Ad hoc accedit bellum theologicum ſeculo XV. ortum, quo bonae litterae incrementum cepere maximum, et ſic quoque ars medica priſtinum ſuum ſplendorem videbatur eſſe conſecutura. At vero THEOPHR. PARACELSI, HELMONTII, aliorumque ineptiis chemicis, nec non phyſicis hypotheſibus, ſcilicet doctrina Carteſiana et Newtoniana, detrimentum pertulit haud exiguum vſque ad HARVAEVM circa medium ſeculi XVII. qui ſine dubio antiquam reddidiſſet medicinae faciem, niſi tot tantaque obſtacula habuiſſet remouenda. Hoc in ſtatu inuenit ſummus BOERHAAVE, natus a. MDCLXVIII. in pago *Voorhoaet* prope Leidam, denatus Leidae a. MDCCXXXVIII. medicinam, quam vt in meliorem redigeret formam, atque adeo tirones rei medicae normam haberent, ad quam ſtadia dirigerent ſua, conſcripſit etiam has inſtitutiones pathologicas, ratione illius temporis optimas. HAENIVS igitur diſcipulus b. BOERHAAVII ſtudioſiſſimus, quum auctorem ſibi eligeret ad medicinam tradendam, nullum eo invenit aptiorem, etſi non ignorabat, multis eius libros ſcatere hypotheſibus, plura in iis deficere,

necnon in interpretando, BOERHAAVIVS ipſe vt
p. 80. interdum adderet, neceſſe eſſe. Enarrata itaque morbi natura progreditur ad morbos ſimilares, in quibus explicandis vehementer ſe torquet HAENIVS. Nam qui fieri poſſit, vt in fibra ſimpliciſſima, quae in infinitum diuidi fortaſſe queat, quamquam inſtrumentis iis non inſtructi ſumus, morbus oriatur, et quid ſit fibra ſimpliciſſima, haec omnia, niſi magis illuſtrantur, non intelligimus. Etenim omnino nullus in praxi medica reperitur morbus ſimplex, ſed ratione compoſitorum eſt ſimplicior. Vnde etiam hic verbis vti licet VERVLAMII, qui doctrinam talis veri, quod tam ſubtilis eſt, eandem
p. 90. ob cauſam vſu caſſam deprehendi ait. Tranſit deinde Auctor ad morbos organicos, quos iterum deſcribit in morbos ſolidarum partium et fluidarum, adiecta eorum interpretatione eximia. Sed quia pars organica morboſa tum exceſſu, tum defectu peccare poteſt, atque adeo exſiſtere tophos nodos, et exoſtoſes, HAENIIque mens fuit, omnes in aphoriſmis con-
p. 114. tentos morbos pathologiae ſuae inſerendi, caput de oſſium origine eorumque morbis hic addidit. Hos excipiunt plures aliae morborum ſpecies, quas BOERHAAVIVS vel prorſus non tractauit,
p. 170. vel leuiter tetigit, *ſpina bifida, odontalgia, paronychia, maxillae laxatio*, quorum pathologiam non ſolum, ſed etiam curandi rationem vna cum variis HIPPOCRATIS aphoriſmis ſimul expoſitis attulit.
p. 258. Quibus quidem abſolutis, doctrinam *de herniis*, quarum BOERHAAVIVS obiter tantum, et HIPPOCRATES plane nullam mentionem fecit, inchoat, atque in explicandis earum ſpeciebus haud paucis permultus eſt, quo ad vulnera tranſit, quae, quia b.
p. 357. VAN SWIETEN plurima dedit in commentariis ſuis, breuiter ea recenſet, et nihil, niſi ſua obſeruata inuentaque recentiorum, addit. Incidit hic in ner-

vi

vi ſubſtantiam, quam cum BOERHAAVIO contendit eſſe tubuloſam. At vero ex tam multis vſque ad hoc tempus controuerſiis actis bene intelligimus, longiſſime nos abeſſe a verae neruorum fabricae cognitione, licet Cll. Viri DELLA TORRE *) et PROCHASKA **) experimenta cum ſubſtantia cerebri, cerebelli, medullae oblongatae et ſpinalis inſtituerint vel optima. Quorum alter deprehendit innumerorum congeriem eſſe globulorum pellucidorum in tranſparente aliquo viſcido fluido natantium, maximos vero in cerebro, et ſic ſenſim decreſcere, promiſcue poſitos, in ſubſtantia autem medullari neruorum in lineas rectas magis diſpoſitas, et fili aut fibrae referre ſpeciem eo magis, quo remotiores ſint a cerebro; alter tam corticalem quam medullarem ſubſtantiam immenſa globulorum conſtare copia vidit, globulos vero illos in pellucido illo ac viſcoſo liquore natare non perſpexit, quin potius illos peculiari quodam ac elaſtico nexu inter ſe cohaerere teſtatur. Hoc ex phaenomenis patet, neruum eſſe tenuiſſimam medullarem ſubſtantiam atque maxime ſenſibilem, cuius indolem ac naturam veram tempus manet aeque ac vaſorum lymphaticorum demonſtrationem certiorem.

Sequitur tandem methodus vulneris medendi, p. 452. vbi merito docet, nullum eſſe medicamentum vel alimentum vniuerſale, ſed pro vniuscuiuſque, quem curandum ſuſcipiamus, natura, conſuetudine, anni tempeſtate, loci conditione haec paranda, quod ex HIPPOCRATIS aphoriſmis, ad hanc rem ſpectantibus, eo magis confirmare ſtudet. Et ſic habemus hoc in volumine chirurgiam et manualem, et medicam fere totam vna cum variis exemplis memoratu digniſſimis.

*) IO. MARIA DELLA TORRE nouve oſſervazioni microſcopiche, Napoli 1776.

**) Tractat. anatom. de Struct. nerv. cap. IV. p. 66,

Vol. II. p. 10. Volumen II. enarrat morbos humorum, et primum quidem locum obtinet *plethora*. Quod nomen etſi HELMONTIVS, qui humores ſupponi ait bonos, et tamen morbum hos facere vidimus, ſi morbum faciunt, degenerarunt a bonitate ſua, ergo nequeunt amplius boni appellari, deridere ſtudet; tamen huius vocis vim ſiue non recte intellexit, ſiue potius praeiudicio captus HIPPOCRATIS aphoriſmum legit. Optime hoc perſpici poteſt in hominibus valde ſe exercentibus, quos humores abundantes boni, ſi ad ſummum progreſſi ſunt, de capite timeant, efficiunt. Hi enim neque in eo ſtatu permanere queunt, neque in melius mutari, et tamen mutationem quandam ſubeant, neceſſe eſt, vt, ſi quando mutentur, mutentur illico in deterius.

p. 20. Sed aliam quoque humorum abundantiam habemus in cacochymicis, qui vero a ſtatu naturali ita degenerarunt, vt ad functiones exercendas plane inepti fiant. HAENIVS igitur b. hac occaſione data inuenta et experimenta cum humoribus facta breuiter percurrit, ſcilicet Leeuwenhoekii, cuius viri in rebus phyſicis induſtria eximia eſt notiſſima, cuiusque induſtria fuit cauſa, vt plura videret, quam alii, v. c. vt quiſque globulus ruber conſtaret ex ſex minoribus aliis, et hi ſex a mutua cohaeſione recedentes flauo eſſent colore, iterumque a ſex minoribus conflati: Rob. BOYLII, qui primo grauitatem ſanguinis ſpecificam indagauit, ſed peccaſſe videtur in eo, quod ſanguinem ponderaret refrigeratum, vnde tam multae de ea exſtiterunt ſententiae, multaque alia cum humoribus inſtituit experimenta chemica, quibus vero quam valde mutari poſſint humores, quis eſt, qui neſciat? GVILIELMINI, qui nihil maioris attuliſſe videtur lucis: HALESII, qui animalium haemaſtaticam perſecutus eſt, plane autem non eo, quo neceſſe erat, deuenit; nullus enim liquor

liquor in rerum natura omni ex parte ſimilis reperitur ſanguini humano. His omnibus addi poſſunt egregia MOSCATI experimenta cum ſanguine inſtituta, quae quanta medicinae afferant emolumenta, vnuſquiſque legat oportet. Falſo videtur ergo p. 34.
HAENIVS concluſiſſe, cum dixit, quemadmodum argentum viuum humores noſtros ingreſſum ſanguinem totum a ſua craſi deiicit, et aquoſum reddit, ſic plumbum, ſtannum, aes etc. ſi intrarent corpus noſtrum, procrearent ratione maioris ſuae ſoliditatis eosdem morbos, ac mercurius, ſed eo leuiores, quo eſt illis grauior. At vero multum abeſt, quin effectus, quos metalla in corpus exſerunt, a minori maioriue eorum pondere pendeant; ita enim arſenicum ſumtum, quod triſtiſſimos effectus progignere ſcimus, et mercurio tamen multo leuius, haud prorſus afferret noxam, longe maiorem autem ferrum, quod tamen rite adhibitum eſt ſaluberrimum. Acrimonias nunc deſcribit, et pri- p. 42.
mo quidem *acidam*, quam multis in morbis, quos breuiter percurrit vna cum eius ſignis, adeſſe reperimus: inprimis inquirit in colorem fecum viridem infantum ex acido laborantium, atque hunc ab humoribus tum, cum a bilis motu et conuulſione oriri credit. Multa tamen ſunt, quae hanc ſententiam reddant dubiam, vt ipſe Auctor ait, adeo, vt in ZEVIANI partes ire cogamur, qui coloris fecum viridis originem duxerit a nimis longa in inteſtinis remora, quo acres fierent et corroſiuae, hinc bilem admiſtam redderent quoque ita virentem, vti ab addito fieri ſoleret acido nitroſo. Quod ad ſanguinis colorem attinet, adeunda videntur b. HALLERI elementa phyſiologiae et MOSCATI libellus de calore naturali et ſanguine conſcriptus. Hanc acrimoniam acidam excipit acrimonia *alcalina*, p. 75.
oleoſa, *ſaponacea* cum ſuis ſignis egregie explicatis,

in fine adiectam videmus tabulam σημειωτικὴν acrimoniarum, quo eo certius appareat, in quo conueniant discrepentue, ne praesertim medici iuniores ducantur in errorem, si signa discrepantia et particularia in memoria non essent praesto. Has sequuntur diuisiones morborum; v. c. morbi hereditarii, quibus b. HAENIVS nimium tribuit, dum eos certo adeo euenire debere asserit, ac digitorum, manuumque accidit formatio, *connati*, *acquisiti*: ratione subiecti, *iuuenum*, *adultorum*, *senum*: ratione generis, *masculini*, *feminini*, *vniuersales*, *particulares*: ratione temporis, *acutissimi*, *peracuti*, *acuti*, *chronici*, *verni* et *autumnales*, *continui*, *continentes*, *intermittentes*: ratione effectuum, *benigni*, *maligni*, *sanabiles*, *insanabiles*, *letales*, *contagiosi*, *endemici*, *epidemici*.

p. 122. Ad *Aetiologiam* quod attinet, commentator longus est in definienda causa proxima, propterea, quod innumerae de hac inter medicos philosophos exstant *lites*, quo haud pauci saepius in errorem deducti sunt, et recte nihil aliud, quam morbum ipsum esse credit. In apoplexia v. c. medulla cerebri, fons actionum animalium physicus, laesa est. Videmus enim, vbi sensorium commune priuarit quid facultate exercendi functiones animales, ibi adesse apoplexiam. Ponamus nunc, sani hominis caput malleo ita percussum esse, vt sanguinis copia in cranii cauitatem effusa sit; hoc sanguine effuso, cerebrum, pars sentiens, percipiens, mouens, comprimitur, ita, vt eius medulla actiones animales perficere nequeat. Compressio igitur cerebri est causa proxima atque adeo morbus ipse, ergo causa proxima et morbus vnum idemque est. Sequuntur causa *remota*, *proegumena* et *procatarctica*, quarum quidem posteriorum distinctio vix attendenda est, cum vtrumque vocabulum ideam causae remotae tantum referat. Nunc aggreditur res sic

dictas

dictas ſex non naturales, ex veterum diuiſione, quas IONSTONVS aptius in claſſes quatuor redegiſſe videtur. Primum locum ſibi vindicat aër. Experimentis enim conſtat, vix vllum in rerum natura eſſe liquidum aut ſolidum, cui aër ſe non immiſceat, ex quo atque per artem educi non queat. Iam vero notis illius virtutibus, fluiditate, elaſticitate, grauitate, ſatis ſuperque, ſpecies ſingulatim tractat copioſe, et primo quidem *aërem nimis aeſtuantem*. Hunc experientia nos docuit vaſa exhalantia exſiccare, atque adeo impedire, quominus venae inhalantes imbibant; ii enim, qui per longum temporis ſpatium iter fecerunt in ſabulo aeſtuante, ſentiunt olfactum periiſſe totum, vnde Kahirae etiam ob ingentem aeſtum lippitudines obſeruantur frequentiſſimae, et Alpenſes auguſto et ſeptembri menſibus afficiuntur ophthalmiis endemicis. Ex quo videmus, quam grauibus aër nimis aeſtuans ſubiicere valeat corpus noſtrum malis, cui adnumeramus cubicula nimium calefacta, a Cl. DE WASSERBERG hic inſerta, quae haud raro eadem, ac carbonum vapor, produxerunt ſymptomata. Aër gelidus, qui reſpectu noſtri tantum mutationem ſenſus caloris facit, etenim ſi v. c. aeſtate magna poſt tonitrua calor ſubito a grad. LXXV. ad LX. mutatur, de frigore conquerimur, et ſi ad graduum medium LI. minuitur a gradu LXXV. aut LXXVI. prorſus intolerabile frigus eſſe dicimus; hieme vero media, vbi calor XV-XX. grad. eſt, ſi ex illo aëre conclauia ingredimur, vbi aër ad LII. medium ſcilicet, gradum adſcendit, calorem hic adeſſe clamamus. Aër gelidus igitur roborat, humores cogit, denſat, ſed ſi regelaſcit, fibras diſſoluit, deſtruit, atque adeo ex oppoſitis cauſis eadem mala efficit. Et ſic reliquas aëris humidi, ſicci, nimis grauis, leuis, qualitates abſoluit, quibus tandem aërem, alienigenis

p. 138.

nis corporibus repletum, anneĉtit, illiusque noxam oſtendit inſignem. Quam in rem magiſtratus cura vna eſſe debet haec, vt omnes remoueantur cauſae, quae atmoſphaeram replere, vt puluis ſilicum in plateis, aquas ſtagnantes, paludes putreſcentes gignere queant, et aërem exhalationibus peſtiferis
p. 215. inficere. His enarratis, ad cibum et potum ſe conuertit, multa de vitiis ex nimia aſſumtorum copia, necnon abſtinentia enatis diſputat. Optimum ſemper eſt, medium tenere. Occurrunt hic rurſus acrimoniae cibi et potus, earumque varia vitia, morbique, quos producant, ſcilicet acida, de qua ſupra egit, aromatica, ſpirituoſa, fermentans, quacum multa inprimis Anglorum et Gallorum experimenta habemus inſtituta, qui quidem aër nihil
p. 257. niſi HELMONTII gas ſylueſtre eſſe videtur. Aquam, cuius natura ex phyſicis et chemicis petenda eſt, nuſpiam vere puram haberi, immo alias aliis refertam eſſe particulis, neque vllam rem in rebus naturalibus difficilius cognoſcendam, quod adeo difficulter ſeparari a ceteris corporibus poteſt, vt et cetera corpora ab aqua, hiſtoria eius nos ſatis docet. Vnde factum eſt, vt varii varios excogitarent purificandi modos et colando et filtrando. Alii enim plura vaſa terrea, arenis repleta, in fundo perforata, linteo craſſiore obducta aliis imponunt, vt aqua ſic tranſeat; alii lapidem pumicem adhibent, vt percolent; Aegypti incolae, inprimis Kahirenſes, ad purificandam aquam niloticam vtuntur paſta ex amygdalis comparata, qua vaſa aquifera magna obliniunt, quo turbida aqua decurſis aliquot horis redditur limpidiſſima *). Aqua puriſſima eſt ea, quae

*) Ait POCOKE: — Afterwards the water becomes vergred, and ſtill more turbid, and then it begins to be wholſome, and is drunc by the vulgar: but moſt people have large iarts, the inſides of which they

quae in vaporem redacta eſt, quamobrem aqua pluviatilis ceteris ſaepe purior reperitur, etſi vaporibus ex mari, fluminibus, lacubus, paludibus ortis originem debet ſuam. Et haec cauſa fuit, cur Aegyptii aquam Nili colligerent de nocte, antequam ſol partem puriorem traheret in aërem; cur nautae vellera ouina nauibus de nocte circumponant, vt excipiant vapores e mari adſcendentes, ex quibus deinde exprimunt aquam potabilem; cur alii aqua carentes, marinam decoquant, eiuſque vapores ſpongiis exceptas exprimant, vt potent. Abſoluta itaque prima claſſe *de ingeſtis*, examinat p. 271.
ſecundam *de geſtis*, *motu* et *quiete*, quibus regulam hanc, *medium tenuere beati*, magis confirmat: ducitur tum ad animi motus, quos permultis ſtabilire p. 295.
conatur exemplis, varios canones vna cum hiſtoriis de vi imaginationis grauidarum, de qua ſub iudice lis adhuc eſt, affert; progreditur ad tertiam p. 313.
de *excretis* et *retentis*. Excurrit hic in memorando tabaco, varia imperatorum interdicta proponit, noxam ex abuſu tabaci ingentem demonſtrat, varias ſucci pancreatici et miaſmatis venerei ſententias attingit, et tandem cum claſſe quarta de *externe applicatis* huius voluminis II. finem facit.

Volu-

they rub with pounded almonds, that is, what remains after the oil is preſſed out, which cauſes the water to ferment and ſettle in four or five hours. A Deſcript. of the Eaſt &c. vol. the firſt. Lond. 1743. fol. p. 200.

NIEBUR (*Reiſebeſchreibung nach Arabien etc. Kopenhagen* 1774. I *Th. S.* 131.) *ſagt, das Nilwaſſer iſt immer etwas trübe, wenn man aber die groſsen Waſſertöpfe (Bojanen, Dſiarren), welche man faſt in allen Häuſern dieſer Stadt findet, inwendig mit Mandeln reibet, die auf eine gewiſſe Art zubereitet ſind, ſo wird es in denſelben in wenig Stunden klar, und man hält es für ſehr leicht und geſund.*

Vol. III. Volumen III. continet doctrinam earum rerum,
quae ſimul cum morbo in corpus, quod velut vm-
bra ſequuntur, cadunt, ſiue *ſymptomatologiam.* Ex-
plicat b. HAENIVS verba, *ſymptoma, cauſae ſympto-
ma, ſymptoma ſymptomatis, epigenomenon,* et variis
exemplis illuſtrat. Symptomatologiam enim co-
gnitu perquam neceſſariam eſſe, vt nobis accura-
tam comparemus ſymptomatum cognitionem, quo
perſpiciamus, quid ſint? vnde nata? quinam eo-
rum effectus? quatenus morbi ipſi, neque ab alio
pendentes? quatenus aliorum morborum? qua-
tenus in morbis propria aut aliena? quatenus ſibi
relinquenda ſiue auferenda? quis eſt, qui non in-
telligat? Quam in rem vt eo magis haec doctrina
fieret clarior, in certas ex veterum diuiſione deſcri-
p. 15. pſit claſſes. Prima actiones naturales refert, et
quidem *appetitum in cibos et potus.* Hanc faculta-
tem autem non raro perturbat vel *δυσορεξία,* vel
ἀνορεξία, vel *ἀποσιτία,* vel *βȣλιμος,* (quod verbum
minus recte interpretatus eſt commentator, per
famem bouinam; magis per famem ſiue appetitum
ingentem, immanem, praeternaturalem verti de-
buit; Graeci enim hanc particulam *βȣ* nominibus
addunt, vt magnitudinem rei ſignificent) vel *ὄρε-
ξις κυνώδης, κίσσα, μαλακία, pica,* et *fames lupi-
p. 35. na,* hic omiſſa. Nunc ſequuntur horum ſympto-
matum cauſae. Eundem ordinem quoque retinet
in explicanda manducatione laeſa, quo accedit ad
functionem ventriculi perturbatam, eiuſque ſym-
p. 44. ptomata. Varia hic ſingultus phaenomena et cu-
ram recenſet, et mirari videtur HIPPOCRATEM di-
centem: „*A ſingultu detento ſternutationes ſuper-
venientes ſoluunt ſingultum*"; ſingultum autem a ſpa-
ſmo et irritabilitate inprimis ortum ſaepius tolli-
mus ſternutatoriis, quia hac vehementi percuſſione,
quam efficiunt, diaphragma, os ventriculi, ventri-
culus

culus ipſe, hepar, lien, ita concutitur, vt, ſi acre quid adhaereat ad ventriculum, vel ſpaſmus, vel conuulſio ad viſcera, vt ipſe ait, excutiatur, et itus ſpirituum immutetur. In *vomitu*, ſi cauſam ſemper reſpicimus, ex qua originem duxit ſuam, haud facile errabimus in emetico exhibendo, etſi HAENIVS exempla nonnulla expoſuit, vbi tartari emetici grana duo mala crearent triſtiſſima, atque adeo mortem; hoc vero non vitium medicamenti, ſed profeſſoris fuit, qui regulam hanc „*diſtinguendum eſt inter et inter*„ nunquam perceperat, ſed immediate poſt nauſeas ex ira natas vomitorium propinarat. In grauiditate v. c. ſi vomitus oritur, emeticum vt demus, niſi ſigna materiae peccantis euidentiſſima adſint, neceſſarium fere non eſt, ſed opium, aqua menthae ſiue cort. aurant. ſiue vnguentum neruinum ad illiniendum erit remedium praeſtantiſſimum. Easdem fere cauſas habemus in *cholera*, ſed violentiores, vnde expulſio materiae malae fit ſurſum deorſumque. Quaerit b. HAENIVS, num iuxta methodum SYDENHAMI opio in initio huius morbi locus relinquendus ſit? Nullo modo. Opium enim, niſi materies in ventriculo et inteſtinis haerens antea expulſa eſſet, noxas produceret diriſſimas; quodſi vero hoc factum eſt, neruique nimium adhuc irritati ſunt, remedium eſt diuinum, eapropter SYDENHAMVS ille vomitum inprimis magna iurium copia faciliorem reddere ſolebat. Et minus accurate explicaſſe videtur Auctor *affectionem coeliacam*, dum colorem fecum album chyli admixtioni tribuit ſoli, qui quidem color a defectu bilis corruptae potius oritur, quam a chylo, quod magis elucet ex eo, quum, qui ictero laborant, eorum feces exeant albae. Quod ad *colicam* attinet, vetuſtiſſimis medicis verbo magis, quam re, ignota fuiſſe videtur. Morbi enim

p. 64.
p. 100.
p. 119.
p. 121.

illius cauſae enumeratae leguntur in malo iliaco,
vnde cum TIBERIVS in edicto de infirmitate ſua
nomen *Colicae* meminiſſet, Romani prorſus, quid
p. 126. ſignificaret, ignorarunt. In *Diarrhoea*, a dentitio-
ne infantum enata, febricula magis reſpicienda eſt
et eruptio dentium lanceolae adiumento caute fa-
cta, quam diarrhoea ipſa; dolor, qui adeſt, breui
euaneſcit, vnde *diarrhoea dyſenterodes* appellatur,
inter quam et *dyſenteriam* non magnum primo in-
tuitu intercedere videtur ex iudicio HAENII diſ-
p. 151. crimen. At vero ſi hanc, eiuſque formas, nec non
rationes medendi diuerſas, in hoc caſu ſalutares, in
illo noxias, ſpectamus, intelligimus omnino, omnem
p. 170. hanc mereri attentionem. Longus eſt b. Auctor
in exponendo morbo iliaco, grauiter inuehit in
HAGVENOTVM, qui motus periſtaltici inuerſionem
negarat, difficultatem hoc in malo exſiſtere ait hanc,
qua ratione nempe feces aluinae ex craſſis inteſti-
nis ſuperare poſſent valuulam ſic dictam BAVHI-
NI, cuius ſtructuram anatomicam ſimul percurrit.
Sed ſi vlla fides habenda eſt dictis experimentisque
virorum grauiſſimorum, neceſſe eſt, vt nos in eo-
rum partes eamus. Inter cauſas huius mali refer-
tur quoque *voluulus*, et omni iure, at etiam hic cau-
tione quadam opus eſt, propterea quod hic voluu-
lus poſt mortem in cadauere repertus ſub ipſa mor-
p. 249. tis lucta exemplo polypi oriri potuit. In *iſchuria*
ſaepe videmus vnum renem inflammatum eſſe, ne-
que tamen alterum ſuam obire functionem, vnde
hoc? Nulla hic alia cauſa eſſe poteſt, niſi vt alter
ren ita diſtendatur in ſuis arteriis, quo illae tonum
plane amittant ſuum, atque adeo ſanguinem pro-
pellere nequeant. Suffocata enim circulatione,
vrina non ſecernitur, ſiue, vt recte monuit HAE-
NIVS, in neruis quaerenda eſt. Rarus autem mor-
p. 279. bus eſt. *Diabetes verus*, peſſimumque in febre pu-

trida

trida ſymptoma; *ſpurius* ſaepe periodice reperitur in hominibus ſpaſmo praecipue affectis, et minus periculoſus, qui, auctore ETMÜLLERO, quippe primo huius diſtinctionis artifice, colliquatione humorum exoritur. Atque hoc modo *functiones naturales*, quas excipiunt *vitales*, ad finem perduxit.

Cordis palpitationem variis ex cauſis initium capere ſuum, atque harum reſpectu magis vel minus periculoſam eſſe, quiſque bonus medicus non ignorat. Tangit hic HAENIVS irritabilitatem Hallerianam, neque ſibi perſuadere poteſt, agere cor plane per irritationem. Aliud eſt enim, inquit, cordis viuax natura, aliud eius irritabilitas, et ſemper, vt credimus, in vtramque partem militabant argumenta *). Ad reſpirationis laeſae ſymptomata primaria numerat *Apnoeam*, *Orthopnoeam*, *Catarrhum ſuffocatiuum*, *Dyſpnoeam*, *Aſthma*; quae quidem poſteriora gradu tantum differunt, ita, vt Dyſpnoea ſymptoma plurium aliorum morborum, vt hydropis, grauiditatis, et tympanitae, appareat; Aſthma vero morbum efficiat ſingularem, quod pro varia coeli iniuria abit et redit, ex qua qui aſthmate humido vel ſicco laborant, maius vel minus percipiunt leuamen. Quum vero multis in rebus conuenire videatur cum his morbis *tuſſis conuulſiua* a BOERHAAVIO plane intacta, b. HAENIVS hic eius mentionem fecit, praeſertim cum anno MDCCXXVII. epidemice graſſaretur, vbi ex quadraginta quatuor aegris hiſtoriam morbi adornauit totam. Hoc malum dicit a leui tuſſicula mox intra vnum, vel duos dies in violentam ac frequentem mutari, ſed haud raro videmus quoque huius mali ſigna characteriſtica, decurſis aliquot hebdomadibus,

p. 295.
p. 323.
p. 334.

*) Conf. A. G. WEBERI Comment. de initiis ac progreſſibus doctrinae irritabilitatis. Halae MDCCLXXXIII. 8.

madibus, ſe oſtendere. Primo inuaſit Francogalliam anno MDXXVI. Plurimi medicorum contendunt vnum tantum hunc morbum aliquem ſuſtinere, et probabile videtur, praeſertim ſi aſſumimus eum a ſero acri morbilloſo ad laryngem delato oriri. Egregios ſibi effectus edidiſſe, ait b. Auctor in illa epidemia kermes minerale, quod vero anno MDCCLI. cum rurſus ſaeuiret, hoc malum non modo non leniit, ſed potius plures occidit. Optima remedia extant tartarus emeticus, ſulphur aurat. antim. ſyrup. diacod. oxymel ſquillit. et ſi irritatio vehemens eſt, moſchus, flores zinci, extractum hyoſcyami, maximumque cortex Peruv. eiuſque balnea; at vero etiam hic chamomillae vapores in laryngem miſſi non negligendi ſunt, inprimis ſi
p. 348. ſputa admodum viſcida apparent. Alium morbum cognitu difficillimum et a BOERHAAVIO nullibi explicatum habemus in *hydrope pectoris*, quem, vt Auctor ipſe ait, anatome ſaepius detexit, quam medicus viuo homine cognouit. Omnia enim experimenta Cl. AVENBRVGGERI *) fallacia euadunt maxime in principio huius morbi. Etenim qui fieri poteſt, vt, cum thorax adeo coarctatus cernatur, fluctuatio aquae percipi queat, etſi aeger in alterum ſe conuertat latus, iam vero ſi ſigna habemus euidentia, poſt feſtum fere eſt. Ad idem quoque redit percuſſio pectoris, vbi, ſi dolii vacui ſonum referat pectus, hydrothoracem adeſſe confirmat, quod quidem locum hic plane nullum habere poteſt. Nam qui pectus propter partes in ſe contentas cum dolio vacuo comparari poſſit, non intelligimus. Maximum hic eſt, vt indagemus, num forte morbus pectoralis, quale eſt aſthma, tuſſis ſicca, vel cum ſputo aquoſo iuncta etc. anteceſſerit.

Inter

*) v. Tract. de percuſſione thoracis vt ſigno abſtruſos thoracis morbos detegendi.

Inter actiones animales primo Auctor posuit *visus laesi* symptomata numerosa, ampliorem historiam oculi anatomicam inseruit, eiusque omnes, qui morbos in parte quacunque existere queant, nec non eos, qui vulneribus debentur, adiecit, quos vt quisque legat multum, neminem poenitebit. Eandem attentionem atque diligentiam merentur morbi aurium, (quos haud incongrue ad quinque causas referre possumus has: 1) ad congestionem sanguineam; 2) ad congestionem serosam; 3) ad metastasin; 4) ad spasmos; 5) ad vitia mechanica:) olfactus, gustus, atque tactus. Inseruit hic Cl. WASSERBERG morbos *capitis* et *neruorum* ex codice praelectionum matutinarum b. HAENII, qui cum *epilepsia* incipit, cuius mali sedem omnino omnem in cerebro esse contendit. At vero causa remota omnibus neruis inesse videtur, quae se per nimiam quandam sensibilitatem manifestat ita, vt vel minima irritatio hoc malum producere queat. Nunc ad cephalicorum omnium morborum principem, *vertiginem*, qui eam ob causam quoque epilepsiae praemittendus fuisset, accedit, reliquosque egregie pertractat, vt *Apoplexiam, Parapoplexiam, Paraplegiam, Paresin, Anaesthesiam, Lethargum*, (qui inter ceteras huius mali species cognoscitur praesertim hoc, vt febre inflammatoria cum delirio et obliuione coniunctus reperiatur) *Cataphoram, Carum, Catalepsin* (morbum sane mirabilem, in quo functionum animalium aliae pergunt, aliae cessant. Multa autem hic incredibilia spargi, quis erit, qui neget? adeo, vt non raro viri sagacissimi abierint decepti. Duas esse catalepseos species, quisque scit, *perfectam* scilicet et *imperfectam*, vbi motus et sensus percipitur minimus, ex quo nota b. Auctoris hic adiecta diiudicari potest *). *Choream Sti Viti,*

p. 361.
p. 466.
p. 508.
p. 557.

Ii 2 Coma

*) Si sensorium commune non plane iners, cur ad vellicatio-

Coma comatoden, agrypnoden, Paralyſin, (cuius locus eſſe debuit ante paraplegiam) *Incubum.* Ceterum hoc caput veluti compendium totius praxeos eſt. Morbi enim narrantur, cauſae eorum explicantur, curatio additur, formulae dictantur, atque doctrina HIPPOCRATIS ad quaeuis ſymptomata et morbos adhibetur.

Vol.IV. Verſatur HAENIVS in volumine IV. in exponenda *doctrina de ſignis,* quam bene ſcire multum intereſſe, vt quae in aegro accidant, qui morbus ſit, periculum habeat, nec ne, medicamentis opus ſit, an ſolo victu etc. plane cognoſcamus, quis eſt, qui inficietur? Docet, quid valeant ſigna prognoſtica, anamneſtica, et diagnoſtica: nullum eſſe ait ſignum morbi pathognomicum (immo vero pathognomonicum ex vero Graecae linguae genio) et iure meritoque, quo ad ſigna ſanitatis optimae ge-
p. 27. neralia accedit. Haec ſumuntur a generatione, (loquitur nempe Auctor de vita humana noſtri temporis: Patriarchas enim ſi conſideramus primos noſtri centenarii pueri ſunt. Sed quaeſtio tamen ſemper manet haec, num anni patriarcharum plane reſponderint noſtris, numne ſaepius, vt ex hiſtoria antiqua habemus, annus durauerit tamdiu, ac apud nos fortaſſe menſis ſpatium, quod facile cognoſci poteſt ex hoc, quia res aſtronomica vera iis adhuc incognita erat) a geſtatione in vtero, a natiuitate, a modo, quo creſcit corpus, ab habitu corporis, ab humoribus, ab actionibus. Quum vero incredibilis ſolidarum fluidarumque partium coniunctio reperiatur, ex qua tanta humanae naturae diuerſitas
p. 59. enaſcitur, oritur illa inde a GALENO peruulgata temperamentorum notio valde abſona in *calidum,* *frigi-*

licationes et punctiones non retrahitur pars, non mutatur ſitus? an eſt tantum iners ſenſorium commune reſpectu neruorum ſentientium, et non reſpectu neruorum motoriorum?

frigidum, humidum et *ſiccum.* Sed quia varia in variis eſt proportio haec, melius videtur iſta deſcribi in *ſanguineum, phlegmaticum, cholericum* atque *melancholicum.* Sequitur ſemiotica, quae *ſpecialis* dici p. 76. poſſet, niſi tam multa aliena interſperſa eſſent. Le- p. 86. gimus hic diſſertationem totam adiectam *de fontibus internoſcendi locos internos affectos.* Hanc exci- p. 213. piunt *dies decretorii,* qui irritabilitate Halleriana redduntur firmiores. Quo magis enim morbi materia aegros irritabiles aut tardos exercet, eo citius aut tardius finietur, eo vehementiores aut debiliores ſolidorum humidorumque motus ſequentur, eo maius aut minus periculum, eo certius exitium aut ſalus erit. Non ignoramus quidem, controverſiam haud leuem de *diebus decretoriis* eſſe, vtrum vere dentur, nec ne. Quodſi autem veterum, inprimis HIPPOCRATIS, diligentiam ſingularem in eruendis morborum ſignis, ordinandis, diiudicandisque ſpectamus, fieri non potuit, vt fallere potuiſſent. Ideoque certiſſimum eſt, morbos eos, quos fideliter, naturaeque appoſite conſignatos reliquerunt, tunc temporis vere certis ac ſtatis diebus fuiſſe indicatos, etſi interdum non ſatis a ſe invicem diſtinxiſſe videntur *criſin* et *lyſin,* eos tamen decretorios cenſuerunt, in quibus febrium plurimarum perfecta indicia fierent. Ceterum permulta ad hanc rem neceſſario pertinentia deficiunt, multa ſine ordine bono exſtant, quae hoc tempore curatius deſcripta et explicata ſunt. Finem facit *Hy-* p. 427. *gieine,* tractatio admodum manca, nec ſatis limata, quae, vt tomus ſuam acquireret magnitudinem, addita eſſe videtur.

Volumen V. continet praecepta *Therapiae,* ſiue Vol. V. declarat rationem, qua functiones corporis ſani laeſae reddantur integrae. Oſtendit Auctor, enar- p. 19. rata verborum *Indicantis, Contraindicantis, Coindi-*

 cantis,

cantis, *Correpugnantis* notione, *Cardiaca* et *diaetam*
p. 36. *aegroti*, transit deinde ad *Antidota*, siue remedia contra venena, quae quidem perpulchre ad certas classes redigere et vnicuique remedia addere potuisset, ita vt prima referret venena ex regno minerali, altera ex regno vegetabili, et tertia ex regno
p. 60. animali. Minus accurate igitur BOERHAAVIVS dixit, *acetum plerumque in multis ceteris prodesse;* at quaenam sunt haec cetera? in venenis scilicet
p. 79. vegetabilium acida optima exstant antidota. Differit nunc de corrigendis morbis solidis et fluidis, inserit hic Cl. WASSERBERG dissertationem de *hydrope articulorum* *), quod multas aegrorum historias et animaduersiones contineret, quo moles operis
p. 114. tam, quam pretium eo magis crescit. Quum vero duplex reperiatur materies, quae euacuanda est, 1) quae morbum facit, siue a morbo producta morbum simul auget, 2) quae iam dudum ante datum morbum in ventriculo haeret, duplices quoque dantur viae, altera *naturalis*, altera *praeternaturalis*, vnde ad medicamenta ipsa accedit, et primo ad *sudorifera*, quibus plura addi possunt, deinde ad
p. 152. *sialagoga*, quibus experimenta et animaduersiones
189. WEBERI *de saliua* **) addit pulcherrima. Dicit HAENIVS generalem doctrinam de *Emeticis* esse perniciosam. At vero emetica in manu prudentis medici saepe mira facere, quis est, qui nesciat? vnde medici practici summi, vt BRENDELIVS, HVGO, SWIETEN, aliique, initium methodi medendi, semper fecerant cum euacuatione primarum viarum, eosque felicissimos euasisse scimus, quod facile perspici potest. Nam haud raro impuritates canalis intestinalis causam morbi esse, nos satis superque docent,

*) G. HAFFNER dissert. de hydrope articulorum, Vienn. 1762. 4.

**) *S. Physikalisch-chemische Untersuchung der thierischen Feuchtigkeiten von* I. A. WEBER, *Tübingen* 1780.

docent, nunc autem quum medicamenta in viſce-
ribus vt ſugantur, neceſſe ſit; iis impedimentum
eſt mucus, quominus effectus edant ſuos. HAE-
NIVS igitur valde timidus ſemper in exhibendis
emeticis fuiſſe videtur, vnde, ſi ad hanc doctrinam
venit, plerumque acerbus eſt: hoc vitium autem
non cadit in medicamentum, ſed in medicum. Ite-
rum hic addidit Cl. WASSERBERG diſſertationem
MEYERI *de Emeticis* *). Euacuatione per ſuperiores p. 226.
partes nunc oſtenſa, alia, per inferiores quae fit,
in conſpectum venit, per *purgantia* ſcilicet, quo- p. 261.
rum varias appellationes earumque vim explicat.
Haec ſequuntur *diuretica*, quae humorum acrimo- p. 283.
niam demulcendo, ſpaſmos viarum vrinariarum
mitigant, vt lotium, hucuſque cohibitum, liberius
fluat. *Menagoga* et *Ariſtolochica* cum vtraque ſan- p. 288.
guinis fluxum per vterum intendant, recte Auctor
ad vnum idemque caput referre potuit, etſi lochia
admittunt alia pellentia, alia menſes. Quum vero
noſtro tempore variolarum inſitio magis excolatur
et promoueatur, addit Cl. DE WASSERBERG diſ-
ſertationem BARISANI *de inſitione variolarum* **), p. 295.
quae fata inoculationis, eius certa commoda et in-
commoda etc. oſtendit, nec non hiſtoriam inocula-
torum refert. In *Phlebotomia* optime quiſque ver- p. 353.
ſatur, ſi conſtitutionem ſanguinis et humorum, va-
ſorum vim, fluidis reſiſtentem, et motum per vaſa
perpendit: eadem cautione vtatur in *ſcarificatione*, p. 374.
ne gangraenam aliaque mala diriſſima efficiat. Huic
operationi multis in rebus praeferenda eſſe vide-
tur applicatio *hirudinum* et propter leuiorem dolo- p. 378.

*) C. A. MEYERI diſſ. inaugur. med. de eximio ipeca-
cuanhae, nec non aliorum quorundam emeticorum,
refracta doſi exhibitorum, vſu, Goetting. 1779.

**) SIGISM. BARISANI diſſ. inaug. medico-practica de
inſitione variolarum, Vindob. 1780.

rem et minora incommoda, quorum vſum medicum, HIPPOCRATES iam et CELSVS memorarunt, optimeque expoſuit Cl. SCHMUCKER *); vnde, quae ad caput hoc, ab HAENIO ſat obiter tractata, ſpectant, partim excerpta, partim traducta hic le-
p. 397 guntur. Finem faciunt *ſetacea* et *fonticuli*, *ſtimulantia*, *veſicantia* et *cura palliatiua*, quae ſequuntur additamenta ad *Hygieinen* **), ad *febrem hemitritaeam* ***), ad *bilis* ****) *ſanguinis* †) eiuſdemque *ſeri* ††) naturam indolemque pertinentia.

Seorſim excudi curauit Cl. WASSERBERG duos tractatus HAENII de *vermibus inteſtinorum et de ictero*, quorum prior fere omnia ad hanc rem vtiliſſima continet collecta. Enarrantur hic ſententiae et veterum, et recentiorum variae. Veteres enim omnes in ea fuiſſe opinione, vermes produci a putredine, et HIPPOCRATEM ipſum ſtatuiſſe eos fetui in vtero materno connaſci, ex excrementis tamdiu ibi retentis notiſſimum eſt. Ex hiſtoria autem naturali ſcimus, nil niſi ex ſemine et ouulo generari, quamquam etiam nunc habemus, qui vermes nobis innatos eſſe contendant, quod vero nihil aliud eſſe videtur, quam doctrinae Hippocraticae aliam induere veſtem. In altero videmus recentiſſima cum bile inſtituta experimenta chemica, quae variis in libris diſperſa leguntur et ad ſcientiam medicam multum proſunt: attulit Cl. WASSERBERG quoque recenſionem theoriae nouae Cl. MARCARDI de Ictero

*) S. SCHMUCKERS *vermiſchte chirurgiſche Schriften*, I *B. N.* 2. *S.* 75. et Cl. GRVNERI prol. de recta hirudinum applicatione, Ien. 1780.

**) I. C. GEHLER diatribe de variis aërem corruptum emendandi mediis, Lipſiae 1781.

***) MELCH. STOERCK diſſert. inaug. med. de febre hemitritaea.

****) WEBER l. c.

†) idem ibidem. ††) idem ibidem.

Ictero amplam, nec non ea, quae Cl. TODE hic monuit. Ceterum hi duo tractatus, quod pleraque hanc rem hucusque concernentia exhibent, lectu sunt dignissimi.

XX.

PETER MOSCATI, *der Arzneykunst Doktor, Professor der Chymie und Chirurgie zu Mailand, neue Beobachtungen und Versuche über das Blut und über den Ursprung der thierischen Wärme. Aus dem Italienischen übersezt von* KARL HEINRICH KOESTLIN, *Stutgart bey Johann Benedikt Mezler*, 1780. 8. *Seitt.* 56.

i. e.

PETRI MOSCATI, Medicinae Doctoris et Professoris Chemiae atque Chirurgiae Mediolan. Obseruationes nouae ac experimenta cum sanguine et de origine caloris animalis instituta. Ex lingua Italica conuertit CAROLVS HENRICVS KÖSTLIN, Stutgardiae apud Iohann. Benedict. Mezler, MDCCLXXX. 8vo. pagg. 56.

Quum inde a longo temporis spatio haud pauca facta essent cum sanguine experimenta ignis auxilio, atque ex iis perspectum, constare hunc ex sero ac cruore: Auctor huius libelli per se commendatissimi hanc incidit in mentem, eadem cum hoc fluido rubro repetere, sed longe alio modo, ac adhuc instituta fuerant, propterea quod ex hac theoria innumeri syllogismi colligi possent dubii ac incerti in variis morbis. Scilicet quam primum p. 9.
sanguis e vena missus coagulauit, reperimus in eo principia inter se diuersa haec: 1) Serum, 2) Gelati-

latinam, 3) Cruorem siue globulos sanguineos rubros, quibuscum in homine viuo magna phlogisti copia est coniuncta, vnde circulatio atque adeo fluiditas sanguinis ex sententia MOSCATI pendeat. Extra has autem virtutes recensitas detexit Auctor memorabilem quoque hanc, phlogisti ope serum coire ita, vt neque diluatur, neque existat calor. Quae quidem virtus vt magis eluceret, calcis viuae vncias duas vel tres cuidam aquae quantitati admiscuit; quo facto, calor ortus est magnus, qui sub campana vitrea ad gradus sexaginta thermometri Reaumuriani adscenderet; atmosphaera fiebat rara a campana calida, adeo, vt, si aër siccus calxque bene praeparata esset, campana interdum diffringeretur. Eadem fecit cum sanguinis recens emissi sero sub campana vitrea, quacum machina Halesiana erat copulata, vt aërem e corporibus euolutum siue deglutitum inuestigaret. Thermometrum in hac mixtione positum, non nisi ad gradum vnum vel duo adscendit, aër nec rarefit, nec campana calida, et tamen, praeterlapsis aliquot horis, serum sensim sensimque turbatur, impellucidum apparet, atque post tredecim, quatuordecim aut viginti horas cernitur inspissatum et coagulatum, tanquam in aqua ebulliente coctum. Haec experimenta autem etsi singulari diligentia atque studio eximio sunt facta, modus tamen ratioque vis et efficaciae rebus physicis aliqua ex parte contraria videntur. Nam quod Auctor, cum calx aqua commixta non efferuescit, vt fit, sed sensim turbatur, atque decursu horarum XIII – XX coagulatur, quod Auctor, inquam, ex hoc colligit, phlogiston calcis, quod in serum transierit, hoc effecisse, haud probari potest, immo vero causticitas calcis esse videtur causa, quo huic crassae et serosae massae fluidum tenuius, tanquam instrumentum fluiditatis, eripitur, et quo illae partes so-

lutae

lutae in ſpatia anguſtiora redire, h. e. ſe inſpiſſare coguntur. Quod quidem eo magis inde apparet, quia calx, peracto experimento, cum aqua neque efferueſcebat, neque pondus ſuum priſtinum, vti ſerum, reddebat, propterea quod multae partes aquoſae et igneae ſolutione auolarant, quanquam neque campana calida, neque aër rarus erat factus.

Sed vt alterum quoque ſanguinis principium, p. 23. gelatinam, diſquiſitioni ſubiiceret, atque oſtenderet, hanc a ſero differre, ſanguinem aegroti in vitrum aquae calidae immiſtum demitti iuſſit, cuius ſanguinis pars dimidia in eadem aqua infundendo agitabatur. Spatio horarum XXIV decurſo collegit gelatinam, quae quum aquae ebullienti adiiceretur, ſerum antea fluidum coiuit, pondere ſuo ratione ſanguinis in vitro adhuc contenti perpaucum emiſerat, vbi ſimul quoque obſeruauit, ſero gelatinam multo citius in putredinem tranſire. Sed perpulchra eſt obſeruatio, cum globulis ſanguineis facta, qui quamdiu cum ſero mixti ſunt, id rubicundum apparet; quam primum vero globuli ſanguinei fundum petunt, recipit colorem ſuum flauum. His enim dum aquam adderet deſtillatam, poſt aliquot horas decomponebantur ita, vt aqua fieret rubicundior, neque turbulenta, cumque hanc aquam perſcrutaretur oculo armato, nec globulos rubros, nec vlla corpuſcula alia detexit. Ex quo coniecit Auctor, globulum minime conſtare materie rubra ſola, immo vero partem eiusdem, quae ſolutione globuli ſit liberata, eſſe. Quam quidem coniecturam alia etiam experimenta confirmarunt magis. Microſcopio enim compoſito inſtructus in quouis globulo ſanguineo punctum obſcurius vidit, et circa hoc materiem pellucidam, neque tamen vero coloratam, itaque hoc punctum haud dubie coloris eſſe principium credidit. Cuius materiei prima ſtamina

ſtamina quum accuratius inueſtigaret, inuenit, terram ea continere natura ſua viridem, indoleque ſingulari, quae propter phlogiſton coniunctum in homine viuo cerneretur rubra, atque adeo phlogiſton eſſe id, ex quo maior vel minor penderet ſanguinis color. Haec experimenta omnino omnia editione alia longe maiori, quam auide exſpectamus, reddentur clariora.

XXI.

NICOLAI RIGLER, Phyſici Ducatus Bielicenſis in Sileſia Auſtriaca, conſtitutio epidemica annorum MDCCLXXV, LXXVI, LXXVIII, LXXIX. adiectis nonnullis ſelectioribus caſibus practicis, Vratislauiae MDCCLXXX. 8. ſumtibus Guilielmi Theophili Korn. pagg. 158.

Hoc in libro deſcriptam legimus ſynochum putridam maxime malignam, quae annis ſuperius dictis praeſertim in Ducatu Bielicenſi epidemice eſt graſſata. Cuius conſtitutionis epidemicae, vt Auctor ipſe ait, cauſae grauiſſimae eſſe videntur ſitus municipii, ciuium pannificia, nec non politia peſſime conſtituta. Etenim vrbs admodum populoſa a tergo montibus ſat altis atque collibus vndiquaque cincta conſpicitur adeo, vt non prius, vſque dum ſuburbia quis intret, eam cernat, vnde aër, qui vrbem libere permeare non poteſt, circumfunditur impuriſſimus. Accedunt innumerae cloacae, quae odorem ſpargunt tam intolerabilem, vt quis, etſi longe ab iis abeſt, ferre tamen vix ac ne vix quidem poſſit. Qui quidem odor foetens magis augetur more iſto peſſimo, quod ſordes omnes eiiciantur in plateas, ciuesque, qui fere omnes pannificio victum ſibi quaerunt quotidianum, copiam olei oliuarum rancidi ad lanam praeparandam conſumunt

ſumunt inſignem. Quo facto, pannus ſubiicitur molae fullonum, vt vrina hominum putridiſſima a ſordibus reddatur pura, quam in rem in vnaquaque fere domo vaſa habentur vrina putrida repleta. Fertur nunc pannus per plateas, particulae effluentes foetidiſſimae adeo penetrabiles ſunt, vt, clauſis etiam naribus, ſyncope correptum hominem in terram proſternere valeant. Hoc itaque modo pannus praeparatus atque lotus tinctoribus ad colorandum traditur. Hi, quum non procul ab municipio fluuius praetereat, Piala dictus, in quem fluuium quiſquiliae confluunt omnino omnes atque latrinae et cloacae hinc inde exſtructae ſe exonerant, multitudinem materiae adhibitae ad tingendos pannos, telam, lanamque abluendam coniiciunt inſignem, v. c. alcali volatile, alumen, tartarum, vitriolum, mercurium, eumque potiſſimum corroſiuum, pigmenta colorata, liquores ex ahenis tinctorum venenatos. Haec aqua, venenis talibus impraegnata, pecoribus poſtea praebetur ad potandum, vnde ſingulis annis epidemiam auferre quam plurima, quis eſt, qui miretur? Cui fato triſtiſſimo etiam tota ciuitas cedere cogeretur, niſi venti rapidiſſimi et pluuiae vel maximae hanc, fluviumque a putridis his et venenatis coërcerent effluviis, etſi morbos putridos, inprimis vero febrem putridam et dyſenteriam, omni anni tempore epidemice et endemice regnare, fere continuo videmus.

Periodi huius morbi primae ſignum pathogno- p. 6.
monicum, vti omnium febrium putridarum, erat virium totius corporis proſtratio, quam ſymptomata fere conſueta ſequebantur. Secundo, tertio, p. 7.
quartoue die autem acceſſit febris aucta continua continens, quae ad morbi vſque finem perduraret, cuius comites praecipui erant calor admodum exiguus, qui medici manus, cum pulſum exploraret, tanquam

tanquam aciculis, punxit; genae roſeae, facies triſtis inflata, albugo oculorum rubra et quaſi inflammata, decubitus plerumque in dorſum, nonnunquam in abdomen. In ἀκμῇ morbi non raro ſyncope correpti ſunt ea, quae imaginem mortis referret plenam, vnde, niſi medicus acceſſiſſet, haud dubie terrae fuiſſent traditi. Pulſus magna ex parte naturali ſimilis, in aliis iuſto celerior, in aliis debilior, vomitus nec leuans, nec nocens, tuſſis vehementiſſima ab initio ſicca, poſtea vero humida, veſperique exacerbata; reſpiratio eorum, qui in noſocomiis militaribus erant, libera et naturalis, qui vero caſtra ſequi cogebantur, ſuſpirioſa; lingua initio mucoſa, in morbo ipſo humida, quamobrem ſi aegri eam oſtendere efflagitabantur, ſe oſtendiſſe reſponderunt, etſi, hanc vt exporrigerent, non valerent, ſitis vix vlla, progreſſu autem morbi fere inexſtinguibilis; vrina in paucis turbida cum ſedimento bolo armenae ſimili, in plurimis craſſa; cutis ſudans. Iam vero quarto ſeptimoue huius periodi die miſeri hi petechiis aut miliaribus reperiebantur conſperſi, in aliis apparebant poſt mortem, in aliis iam primo huius mali die, ita, vt nonnulli deambularent iis affecti, neque tamen criticae erant. Nullus enim ex his percepit leuamen. Et Auctor experientia ſua fretus cum AASKOEO et PERCIVAL audacter affirmat, petechias his in epidemiis plane non regimini calido eſſe tribuendas, propterea, quod, etiam ſi methodum medendi adhibuerit antiſepticam et frigidam, ex iis, qui ſe puluinaribus fere immerſerint, vix vnum miliaribus ſiue petechiis viderit obſitum, cum e contrario qui lectos miſſos facerent, ii exanthematis affecti fuiſſent.

Die vndecimo acceſſit periodus tertia, quam ſigna peſſima, quae vnum, ad ſummum duo perdurarent

rarent dies, quibus vitam finirent miseri, comitati sunt. Color flauus augebatur post mortem, petechiaeque liuidae ratione magnitudinis non solum, sed etiam numeri increscebant, omninoque totum malum ad diem vigesimum primum vsque, siue ad vigesimum octauum, attamen vero in paucissimis, vbi sanitas aut mors sequeretur, durauit. Plurimi obierunt die XI. XVII. XXI. sed etiam recidiuas quater saepe et quinquies sustinuerunt.

Hic Auctor symptomata supra laudata explanat p. 14.
fusius, omniaque ea, quae ad hunc morbum putridum procreandum conferre quid videntur, recenset, quo ad indicationem et *prophylacticam*, cui p. 32.
omnia annumerat ea, quae aëris puritatem conservant, bilis, humorumque putredinem coërcent, transpirationem augent, digestionem bonam adiuvant, reliquasque excretiones promouent, accedit et *Curatoriam*, quae quam difficilis sit, quis est, qui p. 40.
non intelligat. Inprimis autem medicus bonus hac in peste respiciat ea, vt putredinem corrigat, vires vitales conseruet, labefactatasque erigat, symptomatibus prospiciat, recidiuas praecaueat. Vnde p. 41.
remedia nunc in hac synocho putrida anabatica enumerantur adhibita, in quibus primum locum obtinet cortex Peruuianus, cuius virtutes praedicat multis, sed eodem quoque animo ingenuo profitetur, se plane non reperisse ea in opio, radice Valerianae silueftris maioris et Arnicae etc. quae in morbis putridis efficere dicerentur. (Recte. Neque vero nobis datum est peruidere diuinas Arnicae dotes, quas COLLINVS vbique vidit.) Tandem historias p. 123.
morborum quasdam selectas vna cum formulis hac p. 150.
in epidemia praescriptis adiecit, ex quibus, vti ex toto libro, studium Auctoris indefessum ac iudicium practicum elucet quam maxime.

XXII.

Dr. SAMUEL GOTTLIEB VOGELS *Handbuch der praktiſchen Arzneywiſſenſchaft*, *zum Gebrauch für angehende Aerzte*, 1ſter *Band. Stendal* 1781. 8. 1½ *alph.*

i. e.

Manuale medicinae practicae, in vſum medicorum iuniorum. Auctore SAMUEL GOTTLIEB VOGEL.

Patris ſui praelectiones *de cognoſcendis et curandis praecipuis corporis humani affectibus* primum auctas et varie emendatas in lucem emittere Cl. Auctor ſecum conſtituerat, quum autem in hoc propoſito ab aliis praeueniretur, factum eſt, vt proprium plane librum elaboraret, multa quidem pathologica ex patris libro deſumta continentem, totum vero proprio labore lucubratum. In hoc libro facilem ab omnibus opinionibus, hypotheſibus, cet. alienam, morbos medendi methodum naturae fidelem tradere ſibi propoſuit, eumque finem, ſi non penitus, ex parte certe hoc modo attigit, vt merito ſperemus fore, vt iuniores medici tali duce comiteque haud facile in vehementioribus morbis curandis hallucinentur.

Hoc volumen febrium partem comprehendit, primumque de febribus generatim agitur. Morbos chronicos hodie, prae febrilibus magis inualuiſſe. De febribus eſſentialibus, accidentibus, ſymptomaticis, criticis. Febrium ſymptomata, diuiſiones, variorum earum generum definitiones.

p. 25. *De febribus intermittentibus*, earumque ſymptomatibus. Criſin quandam poſt quemlibet febris intermittentis inſultum ſubſequi, morbum tamen ea non penitus ſolui. De typis et intermittentium febrium ſymptomatibus inſolitis. Malignarum cauſſam

cauſſam ſemper in bile latere. De intermittenti-
bus febribus, laruatis cauſſis intermittentium fe-
brium. Febres intermittentes quare in quibusdam
regionibus parum frequentes ſint. Extiſpicia fe-
bribus intermittentibus demortuorum. Medicinae
ad febres intermittentes. Carnachini puluerem
recenter praeſcriptum nec ſitu alteratum egregiam
ad febres intermittentes medicinam eſſe. De re-
ſoluentium vſu recte aeſtimando. (In ſalium vſu
nimis longus eſſe videtur doctiſſ. Auctor.) De Pe-
ruuiano cortice et medicinis illi ſubſtituendis. De
quartanis febribus curandis. Ad eas clyſteres Kaem-
pfiana methodo adminiſtratos mire valere, nec non
mercurialia. De opii ad malignas febres intermit-
tentes curandas vſu. Ab intermittentibus febribus p. 167.
ad continuas tranſitus eſt. Primum variae defini-
tiones exhibentur, deinde de duratione harum fe-
brium agitur. De malis harum febrium ſympto-
matibus, earumque malignitate. Febres malignas
ad neruoſas omnes pertinere. De vario febrium
continuarum exitu, criſibus criſiumque ſignis. De
criticorum dierum recta aeſtimatione, et de abſceſ-
ſibus febrium. De ſymptomatibus, ex quibus pe-
riculum morbi colligitur. De curatione febrium
continuarum generalia quaedam, venaeſectio quan-
do indicetur. De euacuantibus, emeticis purgan-
tibusque recte adhibendis. De refrigerantibus. Et
lactentibus pueris acida, et mineralia dari poſſe. De
potu aegrotantium et oxymelide. De criſium iuſto
moderamine, diaeta acutarum et earum ſymptoma-
tibus maxime vrgentibus moderandis. De febribus
tractandis, in quibus vires vitales languent, quo in
vnico paene caſu calidam medendi methodum
Noſter laudat. Camphoram vim cantharidum in
vrinae vias non infringere. De corporis robore
poſt febres ſuperatas reſtituendo. (Symptomatum

tamen, post superatas febres rebelles fugientium, oedematis pedum, hydropis, diuturni languoris, aliorumque nulla mentio iniecta est.)

p. 274. *De diaria febre. De simplici synocho*, eiusque variis complicationibus. De crusta sanguinis inflammatoria. Aegros, in quorum sanguine talis crusta obseruatur, sanguinis missionem semper facilius ferre; alia tamen simul signa, quae sanguinis missionem indicant, aestimanda esse. De synochi curationibus. Balneorum in febribus curandis vsum nimis negligi.

p. 292. *De biliosis febribus*, signisque bilis in primis viis haerentis, illiusque, quae sanguinem infecit. De epidemicis febribus biliosis, in calidis inprimis regionibus grassantibus. De biliosa inflammatione a vera recte distinguenda. De variis febribus ad biliosas referendis, inprimis de febre flaua Americana.

Salem ammoniacum ad bilem praeparandam, vt facilius educi possit, diarrhoea praesertim bilem non educente praesente, inprimis conuenire. (Nos tartari cremorem cum sale mirabili ex aqua coctum eum in finem cum successu dare consueuimus.) De viis, per quas bilis educenda est, recte aestimandis. Signa bilis in primis viis collectae inprimis recte aestimanda esse; saepius enim euenire, vt aut spasmi, aut infarctus vasorum ventriculi in febribus per se non biliosis biliosae colluuiei praesentis symptomata simulent. De cortice Peruuiano in his febribus administrando, venaesectione, diaeta, cet.

p. 330. *De putridis febribus*. Putredinis aut in primis viis, aut in sanguine latentis distinctio. Symptomata, signa, duratio putridarum febrium. De laruatis febribus putridis, neruosas febres praesertim simulantibus. De prognosi harum febrium et de varia earum complicatione cum inflammationibus viscerum occultis, biliosa colluuie, pituita, dysenteria,

exan-

exanthematibus, intermittentibus febribus, febribus neruoſis malignis, vermibus, caet. Extiſpicia in quibus inprimis de frequentibus ſuppurationibus harum febrium agitur.

De emeticorum et purgantium in his febribus vſu. Inprimis autem harum medicinarum vſum ita moderandum eſſe, ne noxae ex iis accendantur. De potibus ad febres putridas acidis. (Nos in febribus putridis ſubinde inſigni cum vſu cereuiſiam tenuem aegris copioſe dedimus recenter paratam et maxime fermentantem.) De Peruuiano cortice in pulueris forma inprimis adhibendo. (Nos frigidum infuſum ad Cl[i] PERCIVAL mentem paratum dare conſueuimus, quum puluis ſaepe in ventriculo moleſtias creet.) De mineralibus acidis. Vinum virium imbecillitate ſumma exſiſtente, optimam medicinam eſſe. De aliis medicinis putredini aduerſis ſimulque vires inſtaurantibus. De veſicatoriis emplaſtris adhibendis.

Occultas inflammationes in putridis febribus quo modo tractare expediat, et de aliorum ſymptomatum vrgentium iuſto moderamine. De balneorum et ad has febres, periculo vitae ſummo exſiſtente, vſu. De his, quae talibus febribus epidemice graſſantibus agenda ſunt. De fixo aëre.

De neruoſis febribus. Earum tres ſpecies noſter constituit, *lentam*, *acutam* et *malignam*. p. 403.

De febre lenta neruoſa primum agitur, eiusque ſymptomata cauſſaeque bene enumerantur. Curatio huius febris. Leuia emetica in initiis ſemper danda eſſe, poſtea ipecacuanham aut tartarum emeticum paruis doſibus inſignem vtilitatem afferre. De veſicatoriis emplaſtris in his febribus copioſe adhibendis camphoram etiam prodeſſe, non tamen ſudore excitato morbum profligari, qui omnibus

copiosis excretionibus intenditur. De moschi vsu, et excretionibus nimiis in his febribus moderandis.

p. 436. *De rheumaticis febribus et rheumatismis generatim* nouo capite agitur. Rheumatismi essentiam in humorum serosorum aut lymphaticorum stagnatione positam esse. Rheumatismus fixus, vagus quomodo distinguendus sit. De symptomatibus ex rheumatismo interno. De rheumatica febre. Eius indolem aut mere inflammatoriam, aut biliosam, aut catarrhalem, aut putridam esse. Historia harum specierum.

p. 450. De chronicis rheumatismis, eorumque inflammatione praegressa, suppurationibus. Rheumaticam materiam variam esse, catarrhalem, miliarem, scorbuticam, veneream, cancrosam, scabiosam, scrofulosam, verminosam. De variis rheumatismi, pro variis locis, quae occupat, nominibus. De phthisi ex psoae musculi inflammatione et suppuratione. De ischiadico malo et morbi specie in huius morbi curatione recte aestimanda. De ischiade neruosa

p. 472. COTVNNII. Proximam rheumatismorum caussam in inflammatoria stagnatione humorum in lymphaticis vasis, membranis musculosis, (musculorum tendines inuestientibus) neruorum vaginis et in ligamentis articulorum contentorum positam esse. Subinde et corrosiuam quandam materiem neruos immediate irritare.

De causis rheumatismorum et de differentia inter rheumatismum et arthritidem. Signa, quibus hi morbi inter se distinguuntur, bene tradita sunt.

De curandis rheumatismis. Rheumaticam febrem eodem modo, vt inflammatoria, tractandam esse. De hirudinibus ipsi loco in rheumatismo affecto applicandis. Nitrum copiose datum optimam ad rheumatismum inflammatorium medicinam esse. (Nos salem ammoniacum cum nitro remixtum

mixtum inſigni cum ſucceſſu in eodem morbo copioſe ſaepius exhibuimus.) Tartarum denique emeticum paruis doſibus datum inſignes effectus praeſtare.

De doloribus externe per emollientes fotus leniendis. Opium caute exhibendum, taxandosque Anglos eſſe, qui hanc medicinam ſine vllo paene diſcrimine exhibent. DOWERI vero puluerem vtiliſſimum eſſe. De doloribus ſummis aegrorum leuandis ac de emetica medicina, dolores optime, bilioſa cauſſa exſiſtente, leuante. Febrem rheumaticam pituitoſam longam lente reſoluentium medicinarum et veſicatoriorum vſum requirere.

De rheumatiſmorum retrogradorum medicinis. p. 497. Calidas plures commendat, quod probare nos haud facile poſſumus, quum haec retrograda materies inflammationem in parte, quam occupat, excitet, antiphlogiſticis, aeſtum delentibus medicinis et veſicatoriis propellendam. De aconiti extracto, aliisque ad frigidos rheumatiſmos medicinis.

A calidis rheumatiſmis ad frigidos tranſitus eſt. De venaeſectione, ptiſanis diluentibus reſoluentibus copioſe bibendis, aliisque ad eos medicinis. De guaiaco in hoc morbo caute adhibendo. In externis ad frigidos rheumatiſmos medicinis cantharidum tinctura, vapores reſoluentes varii, moxae, thermarum vſus, ſcarificationes etc. inprimis commendantur. Ad immanes dolores leniendos aquam frigidam externe loco dolenti applicatam maxime conferre. Tandem COTVNNII medendi methodus breuiter enarratur.

Libro bono et multifariam rerum vtilium copiam continenti formulae medicamentorum 144 additae ſunt, omnes paene bonae et efficaces.

XXIII.

Geſchichte der Wiſſenſchaften in der Mark Brandenburg, beſonders der Arzneywiſſenſchaft, von den älteſten Zeiten bis zu Ende des ſechzehnten Jahrhunderts; in welcher zugleich die Gedächtnißmünzen berühmter Aerzte, welche in dieſem Zeitraum in der Mark gelebt haben, beſchrieben werden, von D. I. C. W. MOEHSEN. *Berlin, bey Decker* 1781. 3 *Alph.* 4 *Bogen. in* 4*to. nebſt drey Kupfertafeln.*

Eidem libro et alius titulus additus eſt:

Beſchreibung einer berliniſchen Medaillenſammlung, die vorzüglich aus Gedächtnißmünzen berühmter Aerzte beſteht, nebſt einer Geſchichte der Wiſſenſchaften in der Mark Brandenburg, beſonders der Arzneywiſſenſchaft. —

i. e.

Scientiarum, inprimis medicinae, ab antiquiſſimis temporibus vſque ad ſaeculum XVI. in Marchia Brandenburgica hiſtoria, in qua ſimul numiſmata in honorem celebriorum medicorum, qui his temporibus in Marchia Brandenburgica vixerunt, deſcribuntur, Auctore I. C. W. MOEHSEN.

Hoc egregio omnibus plane modis, diligentiſſime et ſagaciſſimo ingenio elaborato opere partim politica Marchiae Brandenburgicae hiſtoria, partim et medicinae aliarumque ſcientiarum naturalium in vniuerſa Germania hiſtoria valde illuſtrata eſt, ita vt hic liber, prae pluribus aliis, partim doctrina rerumque in eo contentarum dignitate, partim et amoeniſſima earum varietate emineat.

In

In varias periodos hiſtoria diuiſa eſt, quarum prima ab antiquiſſimis temporibus ad annum 1144. poſt C. N. producitur.

Primum de religione veterum Germanorum naturali agitur. Germanicas litteras quarto ſaeculo ab *Vphila*, Gothico epiſcopo, inuentas et ex graecis litteris emendatas eſſe. Terram, ſolem, lunam, caet. aut potius vires ex his naturalibus corporibus emanantes pro Diis coluiſſe. De quernorum virideſcentium foliorum, viſcique apud veteres Germanos dignitate, et de ſacris ceremoniis, quibus viſcus colligebatur. Medicos veterum Germanorum ſacerdotes, viſcumque ab iis ad plures morbos adhibitum fuiſſe. De *ſelagine* PLINII et *verbena*, ſacris Germanorum herbis. Diaeteticam medicinae partem veteres Germanos magis coluiſſe, victui duro et ſimplici adſuetos; in anatome et chirurgia parum expertos fuiſſe. De numinibus peregrinis in Germaniam per peregrinarum nationum commercia, peregrinationes Germanorum, introductis, inprimis de Iſidis cultu, nouam tamen hanc religionem medicinae valde aduerſam fuiſſe. p. 5.

De religione antiquiſſimorum Marchiae Brandenburgicae incolarum vberius Cl. Auctor diſſerit. Vandalos primum, poſtea his expulſis Slauos Marchiam incoluiſſe, easque gentes Odinum coluiſſe, chriſtianamque religionem ob ingentem rerum naturalium aurique quantitatem annuam, quam clerici principesque ab iis poſtulabant, maxime infenſam fuiſſe. Hoſpitales autem, bonos fortesque viros fuiſſe, ac latiſſimum habuiſſe commercium, etiam fuiſſe in mineris metallicis liquandis et in variis metallis valde expertos. p. 47.

Altera periodus ab anno 1144. ad annum vſque 1417. producitur, primumque politica hiſtoria breuiter, poſtea autem terrarum ſtatus Alber- p. 79.

to I. imperante traditur. Hunc Marchionem bonum virum fuiſſe, terras ſuas diligenter curantem, eo tamen imperante clericos, qui politicarum rerum curam frequenter gerebant, neglecta penitus religione, turbas varias excitaſſe, eoque inprimis tempore clericorum in politicis poteſtatem vehementer creuiſſe, quum omnibus paene regionibus a Carolo M. occupatis clerici praefecti eſſent, aliique principes principatum ſuum pro ſancto haberent, ſi Romani pontificis aut epiſcoporum Vaſalli eſſent, penes quos omnis fere et in politicis poteſtas erat. Nobiles etiam bello rapinisque adſuetos multum eo tempore contuliſſe ad ſcientiarum incrementa praefocanda, hisque inprimis bellis agriculturam commerciumque potenter impedita fuiſſe, ad has turbas vero Romanos pontifices multum contuliſſe. Monaſteriorum his temporibus in Marchia inſtitutorum catalogus exhibetur.

p. 155. Scholas ad iuuentutem inſtituendam Slaui num habuerint incertum, chriſtianas vero ſcholas a Caroli M. temporibus in Germania inſtitutas eſſe. In Marchia inprimis in monaſteriis epiſcopatibusque inſtituendis, ad iuuentutem publicis ſcholis inſtituendam reſpectum eſſe, ſcholarum vero ſtatus quam malus ſub monachorum auſpiciis fuerit, quamtumque ipſa hac publica inſtitutione ad augendam omnis generis ſuperſtitionem praeſtitum fuerit, Ill. Auctor ex exemplis fuſe docet.

p. 164. Nunc ea, quae ad veram horum temporum doctrinam ſpeciatim pertinent, exponuntur, docti homines, inprimis autem chronicorum ſcriptores, memorantur, qui his temporibus inclaruerunt. De PVLKAWAE Chronico, ex quo varia ad hiſtoriam marchionum Brandenburgicorum pertinentia illuſtrantur.

De

De bibliothecis horum temporum publicis, ad quas inſtruendas plurimum pecuniae a principibus datum eſt; has vero praeter miſſalia, caet. parum continuiſſe.

De Othone IV. Aſtrologiae valde dedito. Carolum IV. vero Romanorum Imperatorem, doctiſſimum inter omnes ſui temporis virum, ad ſcientias augendas plurimum contuliſſe, plures in Marchiam homines doctos vocaſſe, plurimosque ſtudioſos, vt in Pragenſi Academia litteris operam darent, commouiſſe. Commercia ab eo reſtituta vegete floruiſſe. De monetis his temporibus vſitatis plura exponuntur lectu digniſſima, monetarumque variae ſpecies quid his temporibus valuerint, fuſe traditur.

Nunc ad medicam hiſtoriam propius accedit Cl. Auctor. Medicinam in initiis paene omnem penes clericos chriſtianos, et admodum ſuperſtitioſam fuiſſe. Peſtem in hac periodo diriſſime et frequentiſſime ſaeviiſſe, et ad eam partim hominum ſummam incuriam immunditiemque, partim et clericorum auctoritatem contuliſſe, qui tales morbos a Deo ad nequitiam hominum puniendam immiſſos adeoque nulla plane cura auertendos eſſe putabant. Et hoc modo peſtem latiſſime propagatam eſſe, quod ea infecti ad Sanctorum altaria delubraque confugerent, hocque modo morbum in ſanos propagarent. Annorum, quibus peſtilentia ſaeuiit, catalogus exhibetur. Magnam etiam ſtragem febres putridae et petechiales his temporibus ediderunt, primumque Venetiis, et in aliis Italiae maritimis regionibus, laudabili modo de peſte auertenda cogitatum eſſe. Prodigia etiam varia a clericis, vt opes ſuas augerent, diuulgata nunciataque multum ad hos morbos frequentiores reddendos contuliſſe, et ſuperſtitionem vulgi in immenſum auxiſſe. p. 256.

De infirmariis in Marchia per equites ordinis S. Ioannis Hierosolymitani institutis, vt in terram sanctam peregrinantes iis refocillarentur. De nosocomiis ad spiritum sanctum, ad nosocomii Romani normam institutis. De infirmariis pro leprosis, et nosocomiis ad pestilentiam. Laneas vestes, immunditiem, et carnis suillae vsum in militibus, cruciatis expeditionibus vacantibus, ad lepram disposuisse, et in Marchia his temporibus frequentissimam.

p. 283. Balnea publica ob lepram in Germania frequentem primum instituta, ex iisque clericorum opera mox religiosum quoddam institutum factum esse, ita vt et *animarum balnea* darentur. Vt et nobiles munditiei curam gererent, institutum esse, vt nullus, nisi barba derasa, lotoque diligenter corpore, in equestrem quendam ordinem recipi posset. Barbas tamen in Germania difficulter derogari potuisse, ita vt saeculo demum 13. barbitonsores instituti fuerint. Ad lepram etiam balnea valde laudata, moremque fuisse, vt et omnes, priusquam matrimonium contraherent, balneo vterentur. Monachos vero balneorum taedium mox cepisse, quum iis morbi contagiosi in eos frequenter propagarentur, eamque ob caussam *balneatores* institutos esse.

Chirurgiam eo tempore, licet plurima bella gererentur, in Germania paene nullam fuisse, medicosque parcos, qui bellicis expeditionibus intererant, ducum tantum nobiliorumque valetudinem curasse, et cum aliis militibus armis pugnasse.

Quum *barbitonsores* necessarii demum euaderent, his chirurgia simul demandata est, eorum vero artificium eo tempore pro turpi et ingenuo homini indigno habitum eam forte ob caussam est, quod Slaui vtplurimum, qui ab omnibus opificum societatibus sedulo arcebantur, ad barbae tonsuram

adhibe-

adhiberentur. Hoc modo potiſſimum omne chirurgiae ſtudium praefocatum eſſe, et licet barbitonſores a WENCESLAO, Rom. Imperatore, priuilegiis ampliſſimis ornarentur, haec tamen ad hominum praeiudicia exſtinguenda parum valuiſſe.

Nunc ad *chirurgiae hiſtoriam* tranſitus eſt. Salernitanam ſcholam inprimis ad chirurgiam in Germania amplificandam contuliſſe, omnesque in Chirurgia magiſtros eo tempore Pariſiis, Salerni, aut Bononiae creatos eſſe, ita tamen, vt in chirurgos *phyſicos* et *vulgares* diuiderentur, quorum illi medicinam et chirurgiam ſimul, hi vero chirurgiam tantum exercerent. p. 294.

Chirurgorum etiam in Gallia ordini tonſores adſcripti erant, qui pariter chirurgiam exercebant, et 1301 iam cum medicis chirurgis rixas mouebant. In Germania partim tales chirurgiam exercebant, qui eam in exteris academiis didicerant, partim et a principibus ſpeciali ad eam priuilegio donati.

Tertia periodus ab anno 1417 ad annum 1499 eſt. FRIDERICI I. et II ALBERTI et IOANNIS laudes. De clericis et doctis in hac periodo viris, ex equeſtri ordine iurisconſultis, et medicis. Archiatrorum ſimul Brandenburgicorum hoc tempore illuſtrium vita enarratur. De SIMONE PISTORIO, academiae Francofurtanae fundatore.

Officinarum pharmaceuticarum in Germania hiſtoria; primaeque litterae, per quas officinis pharmaceuticis Berolini immunitates quaedam conceſſae ſunt. Officinas pharmaceuticas in Germania ad normam earum, quae Neapoli et in Sicilia erant, inſtructas eſſe. Primam officinam pharmaceuticam Halae Saxon. 1493. Berolini autem 1488 inſtructam et priuilegio donatam eſſe. Finem huic periodo p. 372.

periodo varia ad rem monetariam pertinentia faciunt.

p. 385. Quarta periodus vſque ad annum 1598 extenditur, praemiſſaque introductione de ſcientiarum in hac periodo ſtatu, et quantum Francofurtenſis academia ad eas contulerit, agitur. Plures tamen in peregrinis academiis medicinae ſtuduiſſe, inprimis Baſileae.

De praeiudiciis et erroribus Germanorum Saeculo XVI. vberius agitur. Haec in aſtrologiae ſtudio, rerum magicarum amore pariter odioque, et in alchemia inprimis ſita fuiſſe. De connubiis, quibus medicina eo tempore cum aſtrologia coniuncta erat, de aſtrologico furore, qui eo tempore paene omnes inuaſit, et de germanorum principum erga aſtrologiam amore plura exempla, eaque ſatis mira lepidaque proponuntur. De profeſſoribus aſtrologiae academicis, eorumque ſummo applauſu, inualeſcente inprimis in Germania Paracelſiſtarum ſecta.

p. 421. De calendariis medicis cum variis ſignis, et de calendariis futurarum rerum euentus praeſagientibus. Calendarium Romanum STOEFLERI ab anno 1518. primum aſtrologicam medicinam continentem fuiſſe; dari vero et alia calendaria ante hoc tempus impreſſa. Hoc inprimis plebem in maximam admirationem raptam eſſe, quod haec calendaria certos ſolis et lunae eclipſium dies indicerent, hocque modo et fidem aliis in iis contentis vaticiniis habitam eſſe. De STIEFELIO mundi vniuerſi interitum praeſagiente ſat lepida hiſtoria.

De magis et a diabolo obſeſſis, deque ſuperſtitionis in medicinam influxu. Hoc inprimis ſaeculo rerum magicarum fidem maximam fuiſſe, magicisque vnguentis phantaſiam tali modo turbatam eſſe, vt, ſopore iis praeternaturali inducto, eo durante

ipſi,

ipſi, qui talibus vnguentis vſi erant, cum diabolo commercium alere exiſtimarent.

De IOACHIMO I. bono principe, ſcientias amante, et IOANNE TRITHEMIO, viro doctiſſimo; de archiatris principis electoris, eorumque ſalariis, deque variarum rerum eo tempore viliſſimis pretiis.

De IOACHIMO II. principe electore, et ſcientiarum, eo imperante, ſtatu. De variis hominum hoc tempore quoad veſtimenta conſuetudinibus, foetibus monſtroſis, magicis proceſſibus, deque diabolo in homines hoc tempore imputata potentia. Rerum magicarum fides quare poſt reformationem a LVTHERO ſuſceptam increuerit. De LIPPOLDO, Iudaeo, rei monetariae Berolinenſis praefecto, eiusque, quum pro mago haberetur, ſupplicio, quo inprimis euenit, vt omnes Iudaei ex terris Brandenburgicis modo ſat violento expellerentur.

IOACHIMI II. archiatrorum vitae vlterius enarrantur, imperiumque IOANNIS GEORGII, principis electoris. De archiatris eius, inprimis LEONHARDO THVRNEISSERO, alchymico celeberrimo. De primo Berolinenſi phyſico, MATTHAEO FLACCO. p. 539.

Tabulae aeneae, a IO. KRÜGERO eleganter ſculptae, numiſmata in honorem *medicorum excuſſa continent.*

XXIV.

D. HENRICI FRIDERICI DELII aduerſaria argumenti phyſico - medici. Erlangae, apud Wolfg. Walther. Faſc. I. II. et III. a 1778 vſque ad 1783.

Inſtituti rationem Ill. Auctor his expoſuit: „Viſum eſt nuper ſpeciminibus nonnullis academicis dicare plures ſchedulas, quibus ſubſeciuas quasdam meditationes et annotationes, et in recitationibus

nibus academicis paſſim relatas, ne memoriae plane exciderent, conſignaueram. Has, ne plane perirent, in aliquem ordinem redegi, et ſecundum partes medicinae principales et miniſtras diſtribui. Placuit hoc inſtitutum medicinae candidatis, ita vt ſibi eligerent vnam poſt alteram chartularum harum, et aduerſariorum collectionem, quam, propoſitis interdum aliis, e cathedra eo magis defenderent, quo magis varia in iis ex vniuerſa medicinae et naturae ſcientia continebantur, quae ſatis largam diſputandi et colloquendi et vberius meditandi materiam ſubminiſtrarent„. Tres priores collectiones ab *Antonio Statio Müllero*, *Hermanno Leuino Smitian*, et *Ioanne Alexandro Roth*, in altero autem volumine contentae a *Ioanne Chriſtiano Strebel*, *Leone Samuele Haſſfurther*, *Caſp. Chriſtian. Albert. Greſſelio*, et ab *Henr. El. Othone Wagnero* defenſae ſunt, quas omnes, quum ante annum 1780. et hoc anno iam editae ſint, excerpere haud lubet.

Tertium autem volumen anno 1783. editum *Fr. Leber. Eiſenbergii* diſſertationem *initia medicinae extemporaneae et domeſticae cum aduerſariis quibusdam chemicis* continentem exhibet. De conſilio curationum ſubito, et in ipſa arena capiendo, et de noxis ex protractis nimis curationibus, morborumque ſublationibus diſſeritur, morbique, qui praeſentaneum auxilium requirunt, exponuntur. *Repletionis* et *inanitionis* terminos non ſine ratione in medicinam introductos eſſe. (Hanc theoriam tamen, in qua omnia ad has cauſſas proximas referebantur, curationi morborum praeſentanea auxilia requirentium vehementer obſtitiſſe putamus, quum et hoc accedat, quod *deplere* quidem facile ſit, *replere* vero in anguſto temporis ſpatio difficile.) De ϑυκαιρίᾳ mediorum, deque auxilio iis, qui

qui ſubitanea quadam vi vitam amiſiſſe viſi ſunt, ſtatim ferendo.

Nunc *chemica* quaedam ſequuntur. Aërem fixum et in carbonibus eſſe. De vaporibus medicamentorum forma. In omnibus acidis ſalibus et alcali iam exſiſtere, tartaro id probante. Reſinae elaſticae ſpeciem ex viſci baccis, ex quibus gluten ad aues capiendas paratur, parari poſſe.

Meditationes quaedam in medicinae vniuerſae partes a *Conrado Bawier* defenſae ſunt. Primum de medicina in genere, et de hiſtoria eius litteraria agitur. *Sextum Empiricum* multum tamen et theoriae habuiſſe.

Chemicis quibusdam traditis, ad phyſiologica tranſitus eſt. De ſanguine phlogiſton reſorbente et exturbante. De venereo aeſtu temperando, conſenſu partium corporis humani, caet.

Exanthemata num a vermibus ſint. De capitis dolore, podagra, variolis, hypochondriaco malo, colicis rite diſtinguendis, et podagrica materia in corpore oberrante tractanda.

Diaeteticis quibusdam expoſitis, pharmaceutica quaedam ſequuntur. De menthae virtute antaphrodiſiaca, radicis lapathi virtute ad cutaneos morbos, theriaca, et confectione de hyacintho (celeberrimo olim SYLVII aſſeclis medicamento) minime indiſcriminatim vendenda.

In chirurgicis de *albis tumoribus* agitur, panno laneo aſperiori frictione et inuolutione tractandis. De internis ad oculorum morbos medicinis.

Obſeruationes et propoſitiones quasdam medico chirurgicas cum aduerſariis nonnullis chemicis defendit LEONH. MICH. KAPP.

De *hydropicis tumoribus* exempla proponuntur. De aqua inter cutem diureticis hoc modo euacuata,

ta, vt aqua vlcere in pedibus orto efflueret. Ad pedum tumorem residuum vapores spiritus vini accensi vtiles fuere. Tandem vero aeger, eodem morbo redeunte, neglecto medicamentorum vsu, suffocatus est. Inuoluntarium vrinae stillicidium in hydropicis post diureticorum vsum exortum morbum sanasse, exemplis quibusdam probatur. De diureticorum medicamentorum ex regno vegetabili, cum aqua ostracodermatum feruida digestorum, cui aquae post refrigerium vini boni quantitas adiicitur, vsu egregio.

Fracturae tibiae grauis et fibulae cariei casus exponuntur. De femoris tumore grandi suppurato. Vir quidam bolum satis magnum carnis bovinae fumo induratae deuorauit, indeque deglutitionis difficultatem passus est, quae frictione sanabatur, manifesto indicio, musculares oesophagi fibras a bolo grandi nimis distensas, paralysi quadam a nimio extensione affectas, eoque modo et vicinas partes compressas esse.

In *chirurgicis propositionibus* de mammarum nodis, tumoribus, inflammationibus, inprimis agitur. Nodos emplastro de ammoniaco FORESTI optime solui, inprimis si mamma panno laneo contegatur.

In *chemicis* aduersariis de sacchari lactis variis proprietatibus, pro vario, quo parari solet, modo, varia proponuntur. De naphtis, sodae sale, salibus plantarum alcalinis fixis, spiritu vini gallico, pyxidibus stanneis in pharmacopolarum officinis, sulphuris acido, nitri spiritu, caustico alcali. Dissertationi vtilis tabula adnexa est salium mediorum, quoad partes eorum constitutiuas.

De gratiola eiusque vsu praesertim chirurgico cum corollariis nonnullis physico-chemicis dissertationem *Io. A. S. Zobel* defendit. Primum gratiolae ad internos morbos, inprimis a pituita ortos, vsus exponitur,

ponitur, poſtea vero proprietates plantae, eiusque chemica analyſis vberius traduntur. Pluribus deinde exemplis demonſtratur, gratiolae extractum interne adhibitum ad vlcera antiqua, ſordida, rebellia, plurimum valere.

De affectibus arthriticis quarta in hoc faſciculo contenta diſſertatio eſt, a *G. S. Tries* defenſa, cui *aduerſaria quaedam chemica, praecipue circa acidum ſpathi*, adnexa ſunt. Cauſſam materialem noxiam in arthriticis affectibus in liquidis et in lymphae inſpiſſatione ſitam eſſe. De differentia inter arthritidem internam et externam ſtatuenda; arthritidem vero a podagra non differre, niſi in eo, quod podagrica materies magis fixa, arthritica vero tenerior ſit. Rheumatiſmum etiam valde ad arthritidem accedere. De tumoribus arthriticis et arthritidis ſpeciebus aliis. De ſede arthritidis, variis eius formis, duratione. De febrili materia ad articulos delata, arthritidem ſimulante, deque vlceroſa arthriticorum laſſitudine. De therapia arthritidis, naturaliumque thermarum ad eam vſu. Quibus medicinis retrogradae arthritidi ſuccurrere conueniat.

De ſpathi acido, vaſa, per quae deſtillatur, et in quibus aſſeruatur, vitrea corrodente. Hoc ſpathi acidum verum ſalis communis acidum eſſe concentratiſſimum et maxime corroſiuum, quod ex eo praecipue patet, quod idem illud, addito nitri ſpiritu puriſſimo, aquam regiam conſtituat et aurum ſoluat. Ipſum etiam ſalis communis acidum vitra corrodere ex exemplis probatur. Cryſtallos hoc acidum in medium ſal mutatum cubicas exhibere. Finem diſſertationi aduerſaria quaedam chemica imponunt.

Toti operi indices copioſi indexque ſcriptorum ab Ill. Auctore conſcriptorum additus eſt.

XXV.

Abhandlung über die Nerven und deren Krankheiten von Herrn TISSOT, *Teutſch herausgegeben von* JOHANN CHRISTIAN GOTTLIEB ACKERMANN. *Leipzig*. 1781-1782. 3 *Bände in* 8.

i. e.

TISSOTI de neruis eorumque morbis tractatio e Gallico verſa a IO. CH. G. ACKERMANN.

Quum hic vtiliſſimus liber iam in omnium manibus verſetur, non eſt, quod libri argumentum prolixe recenſeamus. Eorum, quae Editor adiecit, mentionem inieciſſe ſufficiet.

Tom. I. p. 308. Irritabilitatem animalium ſanguine calido praeditorum et poſt mortem, capite reſciſſo, longe perdurare. Vidit inprimis editor anates capite reſciſſo volaſſe, cucurriſſe, caet. Similia phaenomena in columbis, arteriis carotidibus reſciſſis, obſeruari.

Medullae dorſalis laeſiones, inprimis in caudis animalium contentae, non ſemper mortem inferre. Caudae animalium, catorum, caet. adeo reſectionem mortem his animalibus nunquam intuliſſe.

T. II. p. 30. Neruorum morbos, epidemicis morbis graſſantibus, frequentes inde pendere, quod epidemicum contagium a corpore ſuſceptum et non ſatis euolutum neruos petat, eosque irritet, ſubinde et infarctus vaſorum viſcerum infimi ventris, hisque neruorum morbos producat. Maniam febris expertem, vnius tantum vici incolas crebro inuadentem, Cl. editor obſeruauit.

p. 89. Morbos inferiorum articulorum ex grauiditate oriundos paene omnes a ſanguinis regreſſu ad cor impedito pendere.

p. 191. Vidit Cl. editor vnius duorum granorum pondus habentis purgantis pilulae vſu infantem trium anno-

annorum necatum eſſe. In adultis dimidia talis pilulae pars intenſiſſimam purgationem mouit

De ſurarum ſpaſmo diarrhoeas vehementiſſimas excipiente exempla. Dolorem huius ſpaſmi ineffabilem paene eſſe. p. 193.

Mercurius dulcis martialis *Hartmanni* conuulſiones neruorum in infantibus, quibus ad atrophiam datus eſt, excitauit. p. 199.

Mortem in iis, qui ſepulcra diu recluſa aliaque loca ſubterranea petunt, ſaepe a timore pendere ex exemplis probatur. p. 332.

Venereum miaſma difficulter, vbi, mercurio maloque regimine inprimis conferentibus, tabem excitauerit, debellari poſſe. Quae tali in caſu medico incumbant. p. 353.

De grauidarum vomitu ſingulare exemplum. Vomitus a primo conceptionis die vſque ad partus diem ſine vlla intermiſſione perſeuerans, hora XI. antemeridiana ſemper remiſit, ita vt grauida poſt meridiem maxime tolerabilem vitam ageret. p. 458.

Morbidae materiae poſt miliarem putridam febrem ad humeri regionem translatae mortemque producentis hiſtoria. p. 500.

Cephalalgiae ex febris intermittentis metaſtaſi lethalis hiſtoria. p. 509.

De lactea vrina infantum febribus inprimis ex atrophia, nec non febribus pituitoſis laborantium. Periculum vitae hoc ſymptoma minari. p. 463.

Paralyſeos perfectae ex omni parte a materia tineae retrograda ortae hiſtoria. Medicamenta morbo aduerſa immenſa paene quantitate, aegro iam pro deſperato habito, adhibita ſunt. Camphorae drachma huic octo annorum puero data ne pulſum quidem mutauit. p. 552.

De ſcutorum ſtomachicorum irritantium vtilitate. p. 587.

p. 645. De arnicae viribus ad neruorum morbos plura Cl. editor adiecit.

p. 667. De lactis sero parando prolixe editor agit, pluresque, vt optime paretur, cautelas adiecit. De insigni inter serum lactis coctum crudumque differentia. Coctum intensius purgare et diu adhibitum longe magis debilitare.

p. 715. Electricitatem in paralysi sine vllo effectu applicuit Cl. Auctor.

T. III. Plurima Cl. editoris additamenta ad tomum III. sunt, in quo epilepsia, catalepsis, hemicrania aliique cerebri morbi pertractantur.

p. 5. De signis epilepsiae diagnosticis varia.

p. 7. Linguae insignis ex epileptico insultu laesionis exemplum.

Sanguinis suffusiones tunc inprimis post epilepticos insultus oriri, vbi aegri, durante insultu, nimis vehementer continentur.

De vesicae vrinariae in epilepticis spasmis.

p. 18. De epilepticis insultibus a vehementi quadam caussa excitatis, non perdurantibus. Plures tales casus adferuntur.

De causis epilepsiae varia Cl. editor, plura inprimis exempla epilepsiae a matre foetui communicatae inseruit.

p. 42. Ad infantum epilepsiam producendam cibos viscidos inprimis valere ex exemplis probatur.

p. 52. De animi affectibus maxime ad epilepsiam facientibus.

p. 61. Solani tuberosi radices ad epilepsiam puerorum inprimis conferre. Vermes num semper epilepsiam producant. Subinde in pueris epilepsia demortuis lumbricos in vermiformi coeci intestini processu inuenit.

De epilepsia ex matrimonio denegato in viris orta, de eadem in virginibus ex veneris desiderio

et

et ex varia irritatione partium verendarum, a fluoris albi maligni materie, vermibus, caet. orta.

Sympatheticarum epilepſiarum varia exempla proferuntur. Plurima etiam circa epilepſiae cauſas Cl. editor profert.

De herpetum acrimonia epilepticos inſultus producente. p. 143.

Epilepticorum inſultuum ſubito ingruentium exemplum.

De medicinis ad epilepſiam plurima adferuntur a Cl. editore. Catalogus inprimis ſpecificarum ad epilepſiam medicinarum ab editore valde dilatatus eſt.

Copioſae etiam annotationes Cl. editoris ad caput de catalepſi ſunt, non quidem proprias obſervationes continentes, verum plurimas ex aliis ſcriptoribus, inprimis ex DELII libro, depromtas. p. 412.

Hemicraniae ex arthritica materie ortae varia a Cl. editore exempla proferuntur. Argumentum etiam TISSOTI ex FORDYCE libro de hemicrania valde illuſtratur. De ſinuum frontalium morbis hemicraniam ſimulantibus. p. 509.

De cerebri morbis anomalis, inprimis de cerebri hydrope, quae tractatio additamentis editoris ex LVDWIGII, WATSONI, caet. tractationibus plurimum illuſtrata eſt. De morbis ex ſecalis cornuti vſu, inprimis de morbo ſpaſmodico conuulſivo vago, quae tractatio ex Cl[i] TAVBE praeclaro libro aliisque paene omnibus, in Germania inprimis editis, quos TISSOTVS non legerat, maxime ab editore aucta eſt. p. 595.

XXVI.

ANTONII DE HAEN quondam S. C. R. Apoſtol. Maieſtat. Conſiliarii et Archiatri ac Med. in alma et antiquiſſima Vindobonenſi Vniuerſit. Prof. primar. cet. tomus tertius, Rationis medendi continuatae ſeu operum poſthumorum volumen I. collegit ediditque MAXIMIL. STOLL, S. C. R. Apoſtol. Maieſt. Conſil. in eademque Vniuerſ. Prof. prax. P. O. Viennae Auſtriae ſumt. Rud. Graeffer 1779. 8. 469. pagg.

Cum grata bonorum virorum memoria poſteris eſſe debeat, tum vel maxime laudandum eorum ſtudium eſt, qui de operibus ab interitu vindicandis cogitant. Non inutilem ergo operam inſumſit Cl. STOLL, cum HAENII, ſummi viri, reliquias cum lectoribus communicaret, quae etſi non ſatis cultae et comtae foras prodeunt, continent tamen non pauca ſcitu et memoratu digna. Abſoluitur liber ſex ſectionibus. In

p. 1 – 138. Sect. I. continetur *caſuum variorum decas*. Poſſunt iſtae obſeruationes iuniores medicos docere, quomodo viſa rite ac breuiter literis conſignare, cauſas et effecta morbi ex cadaueribus eruere debeant, ſed adeo breues et conciſae ſunt, vt vix ac ne vix quidem hinc inde floſculi quidam excerpi queant.

p. 139– 226. Sect. II. *Aphoriſmi de diagnoſi et prognoſi in acutis et Hippocraticae circa vrinas doctrinae compendium.* Vſus erat b. HAENIVS hoc compendio ad hanc ſemiotices partem non vltimam auditoribus
p. 147– 153. explicandam. Nam in *cap.* 1. reperiuntur quaedam generalia, *cap.* 2. axiomata BOERHAAVII §. 941. percenſentur perſpicue ac docte, exemplo virginis Lariſſeae

Larisseae HIPP. confirmantur; *cap.* 3. docetur, Coum senem pulsum non posthabuisse; *cap.* 4. *vrinae signa* memorantur; *cap.* 5. vero *alia de vrinis et metastasibus*, cuius continuatio, *de metastasi* inscribitur, *cap.* 6. continetur, item *cap.* 7. *prosecutio de vrinis* subiicitur, at vero *cap.* 8. *de vrina rubra cum sedimento lateritio; cap.* 9. *de vrinis, maxime furfuraceis et squamosis* etc. *cap.* 10. *de vrina, et quidem de vrina crocea, viridi, nigra; cap.* 11. *de vrina nigra*, et *cap.* 12. *de vrina pingui et oleosa*, agitur, subdito textu Hippocratico. Iam incipit *cap.* 13. quod *de respiratione* inscribitur, et *cap.* 14. iterum *de morbis systematis vrinarum*, nec non *cap.* 15. *prosecutio thesium diagnosticarum circa systema vrinosum* breuibus adducitur. (Laudamus quidem HAENII studium, signorum doctrinam HIPPOCRATI superstructam audientibus proponendi, sed miramur etiam, quod nec omnia, quae in febribus acutis incidunt, memorabilia vberius memorauit, nec ea, quae ad vrinam spectant, ordine magis lucido collocauit. Poterant enim vtraque, et breuitas orationis, et materiae explicandae vbertas, bene inter se iungi, id quod in *Semiotice* Cl. GRVNERI magis reperisse videmur.) Sequitur iam

Sect. III. IV. V. eaeque omnium lectu dignissimae, *historia morborum, praecipue variolarum an.* 1744. *et* 1745. *Hagae-Batauorum obseruatarum.* P. 227–268.
Grassabantur an. 1744. *efflorescentiae* longe lateque diuagantes contagio communicatae, quarum prima erat *rubedo vniuersalis*, brachia ad humeros vsque, collum, faciem, ventrem ac lumbos, rarius pedes, occupans, cum leui febricula; altera se manifestabat *rubro circulo* breui disparente; tertia *punctulis minimis ruberrimis*, sensim in milii grani molem auctis; quarta a *scabie* propius abesse visa est, quia plures menses substitit, et pustulas lympha plenas, ite- P. 229. P. 230. P. 231.

iterum iterumque renatas, oſtendit. Auxilio fuerunt vnguentum caeruleum et fumus ſulphuris, panno molli laneo exceptus partibusque ſuperha-
p.233-268. bitus. Inſecutae ſunt *variolae confluentes epidemicae*, quae bene quidem deſcribuntur ac cum fructu legi poſſunt, ſed noua hodie amplius non ſunt. In
p.269-288. Sect. IV. agitur *de tuſſi conuulſiua puerorum finiente a. 1746. et initio 1747. Hagae-Batauorum obſeruata.* Fragmenta potius ſunt, quam perfectae obſeruationes. Purgantia et vnguenta adhibenda HAENIVS putauit.

p.289-362. Sect. V. complectitur *hiſtoriam medicam a. 1747 et 1748. Hagae-Batauorum conſcripta.* Potiores
p. 290. morbi erant *anno quouis* ſollemnes, *febris quaedam ſingularis*, qua langueſcunt homines, debiliores fiunt, minus appetunt, dormiunt inquietius, leues ſentiunt horripilationes, et ſubſequentes calores, capitis grauitatem, et nauſeas leuiores; dyſenteria
p. 338. non contagioſa, angina, morbilli et febris ſcarlatina cet. vnde *Haenianum* ingenium et obſeruandi ſtudium ſatis elucet. Clauſulam operi imponit

p.363-469. Sect. VI. *Diſſertatio de colica pictonum, olim ab auctore edita, nunc vero multis in locis ab eodem auctore correcta et caſibus aegrorum ineditis locupletata.* Non vltimum locum inter libellos, qui *in colica pictonum* verſantur, haec HAENII commentatio obtinet, primum edita Hagae Bat. 1745. iam hinc in-
p.431-464. de auctior facta. Adiectae nunc demum in calce ſunt *hiſtoriae nouem aegrorum hoc morbo decumbentium*, quibus mirum in modum confirmantur ea, quae HAENIVS in libro ſuo dixerat. Finit opuſcu-
p. 464. lum *fragmentum animaduerſionum in doctiſſ.* GRASHUISII *tentamen de colica pictonum*, quo potiſſimum cauſſa proxima, *abraſio muci enterici vel etiam ipſius membranae villoſae*, argumentis haud leuidenſibus refellitur. Hactenus illae HAENII reliquiae. Plures

res nondum in lucem prodierunt, etſi eas Cl. editor ſpoponderat.

XXVII.

Voyage dans les Alpes, précédé d'un Eſſai ſur l'hiſtoire naturelle des environs de Geneve, par HORACE BENEDICT DE SAUSSURE, Profeſſeur de Philoſophie dans l'Académie de Geneve. Tome I. II. Neuchatel, chés Samuel Fauche, imprimeur et libraire du Roi. 8. 1780.

i. e.

Iter alpinum, praemiſſo tentamine hiſtoriae naturalis agri Geneuenſis, auctore HORATIO BENEDICTO DE SAUSSURE.

Operis, horum ſtudiorum amantiſſimo cuique dudum familiaris, ſeriorem exhibemus recenſionem, ne mentione eius plane praetermiſſa graviorem culpam contrahamus. Geologiae vniuerſae vndequaque lumen affundit Ill. Auctor, momentoſi Alpium iugi indagationem perſequens. Dolemus ſaltem, tardius ſibi ſuccedere volumina, quae, ſi ex editorum biga iam ſiſtenda iudicare liceat, bene multa ſuperſunt poſthac addenda. Primariae editionis, forma, quam vocant, quarta, Geneuae donatae, ſolam hanc noſtram genuinam imaginem agnoſcit Auctor, Germanico idiomate donatam Bernae curauit Cl. WYTTENBACH, qui ſuas quasdam adnotatiunculas adſperſit. Miraculorum naturae in immanibus Alpium cacuminibus oculos ferientium praeguſtum exhibet praefatio, ſummariam eorum enumerationem praemittens; rationem praeterea reddit mediorum, quorum ope tali operi aggrediendo parem ſe praeſtitit Auctor. Vellemus,

 mature

mature datam fidem liberet Ill. Auctor instructionem itineratoris per Alpes pollicitus. Primum volumen, physiographiae ditionis Geneuensis consecratum, exponit situm vrbis, naturam soli, lacus Lemani memorabilia, cuius profunditati mensurandae atque calori variis temporibus in varia profunditate aestimando plurimum operae insumsit. Pergit ad colles vicinos, conflatos stratis sabulosis maxime et argillosis. Saxum sabulo quarzoso tenero ope calcis vel margae conglutinato constans dicitur Geneuensibus *Molasse;* hoc ibi frequentissimum. Iniicitur simul plantarum atque insectorum rariorum ibi occurrentium succincta mentio. Fusius tractantur detrimenta montium voluendo rotundata, quorum magnam vim et inexhaustam varietatem torrentium alpinorum inundationes in agro Geneuensi dispersferunt. Lithologiam alpinam nomenclaturis accuratius definiendis, idoneisque characteribus illustrandis magis magisque explanare studet Auctor, sic tractans quarzum, petrosilicem, iaspidem, spathum scintillans, granatum, schoerlum, corneum, ardesiam, steatitem, nephriticum, amiantum, asbestumque, micam, calcareum, tum saxa plurima mixta, ceu granitem, porphyrium, saxa lamellosa variae compositionis, saxa glandulosa ac venosa, saxa aggregata. Sobolem vulcanicam, quovsque Alpes peragrauit, nusquam deprehendit, nisi detrimenta quaedam trahere huc velis singularia, e longinquo forte aduecta, basaltis speciem vtcunque adfectantia, quae ipsa tamen corneis adscribere mauult Auctor. Corneum autem materiem sistere, ex qua ignes subterranei basaltem forment, propria dissertatione p. 165 sqq. interiecta adstruere studet. Origini lapidum terendo rotundatorum, aliorumque rupium detrimentorum Cap. VI. dicatum est. Obseruationibus circa hoc momentum instituendis pluri-

plurimam opportunitatem offert Geneuensis ager. Considerando monti Saleue impenditur Cap. VII. et VIII. analysi aquae sulphuratae prope pagum Etrembieres. Montis Voirons historiam exponit C. IX. sequens autem montem Môle dictum spectat, collemque Montoux C. XI. alium porro collem Boisy C. XII. Pergit hinc C. XIII. ad montes Meillerie et St. Gingulphi, quorum historia primum volumen terminat.

Volumen II. Iuram montem praecipuumque adspectuum varietate celebre eius cacumen, la Dole, tum et lacus in hoc montium iugo occurrentes tribus capitibus persequitur. C. XVII. Rhodani eclipsin describit. Lapides lenticulares, numismalium, nummulariorum, frumentariorum, porpitarum, helicitarum passim nominibus signatos ad examen reuocantur C. XVIII. duplex horum lapillorum genus probe distinguit Auctor, priori animalem originem concedens, at de animalis specie, cui domicilium hoc tribuendum sit, iudicium suspendens (ad milleporam, grauibus argumentis ductus, nuper reuocauit Ill. SCHMIDEL); alterum genus circa Rhodani deliquium reperiundum, animalis prosapiae esse prorsus negat Ill. SAUSSURE, docetque, ferri mineram habendum esse, distinctam tamen a BOMARII minera ferri lenticulari. Mons Iorat, inepte aliquando cum Iura monte confusus, C. XIX. perstringitur, et sequente C. XX. quod agri Geneuensis historiam absoluit, mons Sion. Reliqua huius voluminis pars summi albi Montis (*Montblanc*) confiniis perscrutandis consecratur. Praemissa introductione itinerum in hunc finem institutorum ratio exponitur. Primumque huius sectionis caput viam inde a Geneua ad oppidum Bonneville describit, II. ad oppidum Cluse pergit; III. Noui magnetometri in hac expeditione adhibiti noti-

notitiam tradit. C. IV. iter ad oppidulum Sallenche persequitur, V. ad pagum Seruoz, VI. ad pagum Chamouni, opportunum locum, vnde excursiones in vicina, aeterna niue rigentia, Sabaudorum montium cacumina instituantur. Hisce expeditionibus viam sternit Auctor egregia illustratione naturae montium glacialium, insigniumque aeternae niuis coagulorum, in vallibus et decliuibus altissimorum montium lateribus nidulantium, quae nomine Glaciers, *Gletscher*, venire solent. Primum in pagum Valorsine excursum refert C. VIII. Summum inde montis Buet cacumen assecutus, Auctor itineris rationem exhibet C. IX. obseruationum historiam C. X. Quibus duo capita accedunt, XI. de natura et structura montis Buet, XII. denique de vlterioribus circa Granitem institutis obseruationibus. Summaria haec vtriusque voluminis recensio argumentum suppeditare potest lectori, perspiciendi, quam larga obseruationum atque inuentorum messis in hoc opere compingatur, quae vero tanta est, vt, quodcunque fere caput integrum eramus reddituri, fusiorem illud narrationem suo sibi iure vindicaturum esset, quam quae instituti nostri ratione admittatur. Adfinis argumenti librum subiungimus:

XXVIII.

Description des Alpes pennines et rhétiennes; dediée à S. M. très-chrêtienne Louis XVI, Roi de France et de Navarre. Par M. T. BOURRIT, chantre de l'Eglise Cathédrale de Genève. T. I. II. à Genève, chés I. P. Bonnant, imprimeur, 1781. pagg. 285.

i. e.

M. T. BOURRIT descriptio Alpium penninarum et rhaetiarum.

Inde-

Indefeſſi quidem Alpium pediſſequi, nec pictoriae artis imperiti, at naturalis diſciplinae parum gnari, ſubinde etiam verboſioris, ampulloſi, ſic nec vbique ſatis fidi Auctoris huius indicandam nunc opellam recenſito operi aequiparaſſe nullo modo videri vellemus. Summariam tamen praecipuarum et plurium omnino, quam ex fronte libri exſpectaveris, alpinarum regionum notitiam affert, iconibusque nitidiſſimis, immo commentitio lepore naturam excedentibus ornatur. Prodiens Auctor e Geneua vrbe, commiſſus lacui Lemano eximiis vndequaque oculos ferientibus adſpectibus multum delectatur. Hinc fontem muriaticum Benenſem petit, pedemque porro in Valeſiam promouet, primum quidem in vallem Baneam, hinc in vallem Charmotane, vnde haud memoratam antea vallem glacialem aſſecutus eſt vaſtiſſimam, quam cognitarum vallium glacialium excelſiſſimam cenſet. Patet per hanc vallem aditus ex terris Pedementinis in Valeſiam, per quam elapſum fuiſſe *Caluinum*, monticolae retulerunt Auctori. Interiecta hiſtoria itineris amici, qui altiſſimum montem Velan magno cum diſcrimine conſcendit, Valeſiam inferiorem peragrare Auctor pergit, iamque Seduni, Vallis Berens, dulciſſimorumque ibi locorum occurrentium adſpectuum, balnei Leucenſis, montis Gemmi, tranſitusque per vallem Kandelſteig in vallem Lauterbrunnen, detecti ante plures annos eccleſiaſti Lauſannenſi, Polier de Bottens, deſcriptionem tradit. Viſitatis dein feliciſſimis incolis plurium remotarum vallium, intra ſinus montium Valeſiae inferioris deliteſcentium, aggreditur arduum opus explicandae montium materiaturae atque fabricae, e quo tamen facili negotio ſe expedire nouit, BVFFONIVM exſcribendo. Alter Tomus primum congeriem glaciei (*glacier*) ab origine Rhodani nomen re-

petentem exhibet, vnde ad montes Grimſel, Furca, St. Gothardi tranſit. Sequuntur Alpes Rhaetiae. Iamque abrupto filo montes peruuiani conſiderantur, quorum facta cum Alpibus collatione his praepollentia inſignis vindicatur, ita intelligenda, vt montibus peruuianis ſummis non tam ipſis, quam eleuationi ſoli, quo nituntur, inſignis iſta altitudo competat, quam experimenta ibi inſtituta, ipſa forte haud erroris plane expertia, pronuntiant, cum contra Alpium celſiſſimi montes in ſe bene altiores, at humiliori ſolo ſuperſtructi, gigantes quaſi referant in depreſſo loco conſidentes; peruuiana autem ſumma cacumina nonniſi nani vel mediocres monticuli habendi ſint, ſubſtratae molis volumini ſuam altitudinem debentes. Redux e diuerticulo in viam, vallem Vrſenen repetit Auctor, pontem diaboli aliaque memorabilia in itinere Altorfam verſus directo obuia perſtringens. Inde Glaronenſis atque Appenzellenſis pagi quaedam memorabilia adnotantur, lacus porro Lucernenſis ac Lucernae, Thunenſisque lacus et oppidi, vallis Lauterbrunnenſis, eorumque memoria iniicitur, quae in itinere a Lauterbrunna per montes Grindelwald et Scheidek in vallem Haſsli obſeruanda veniunt. Miſſa demum niuis atque glaciei ſede Bernam ſe recipit Auctor, paucisque huius vrbis memorabilia indicat, muſea quoque in aliis Heluetiae partibus hinc inde obuia ſignificat, breui adſperſa locorum, qui eorum viſendorum ergo adeundi ſunt, notitia. Narrato tandem reditu ad ſuos, Geneuae cimelia producit, in his tamen deſcribendis alios magis quam ſuos oculos conſulit. Vtilia, quae paſſim in hoc libro occurrunt, extrahi maluiſſemus, quam totum librum germanice reddi, quod anno ſuperiori factum eſt Turici apud Orell, Geſner, Fueslin etc. Haec autem verſio ſatis mediocris inſcripta: *Beſchreibung der Penni-*

Penninischen und Rhätischen Alpen von Mark Theodor Bourrit, Domsänger zu Genf, aliquas tantum iconum Auctoris editionem exornantium easque longe inferiores sistit.

XXIX.

Vorstellung einiger merkwürdigen Versteinerungen mit kurzen Anmerkungen versehen von Dr. C. C. SCHMIDEL, *Nürnberg bey Valent. Bischoff. Vier Stücke in gr. 4. mit 24 ausgemalten Kupfertafeln,* 1780—82.

i. e.

Icones petrefactorum memorabilium succinctis obseruationibus illustratae, auctore D. C. C. SCHMIDEL.

Iniquis hominum anonymorum atque obscurorum inculpationibus prouocatus sibi visus Ill. Auctor, vt causam diceret, sui ceteroquin optimam vindicem, et profecto ex omni parte saluam, sic simul elici sibi passus est obseruationum missum, naturae consultis eo acceptiorem futurum, quo magis aliquo ex tempore frigere coepit obiectorum ipsi tractatorum cura iustaque aestimatio. Fasciculorum indicandi operis primus mox petrefactum sistit, GUETTARDO quidem memoratum at diligentius inuestigatum Auctoris nostri studio: archetypum vicinum statuit Onisco animal, accedens tamen dotibus quibusdam ad aphroditae indolem, sic forte proxenetam, insectorum classi transitum ad vermes paraturum. Sequitur Ammonitarum noua cordiformis species, primo intuitu concham potius biualuem referens. Porro os cyprini carpionis petrefactum, et fragmentum ad pinnatulam referendum exhibetur. Quibus aliud parum hactenus

nus intellectum specimen adiicitur, a spongia, quam articulatam compellare vellet, Auctori repetitum. Subiunguntur demum encrinitarum quaedam membra forma praedita ab illa deflectente, quam specimina adhuc nota exhibent. Quod idem argumentum, additis aliis nondum antea obseruatis formarum vicissitudinibus, circa easdem partes obviis, subsequens fasciculus persequitur. Ampla hinc tractatio inchoatur, illustrandis plurimis obscurae belemnitarum historiae capitibus dicata, cui absoluendae tertii fasciculi maxima pars insumitur. Docet nimirum oculatissimus Auctor, tuberculum apici belemnitarum aliquando adfixum nequaquam omnibus commune esse: siphoni plerorumque consensu belemnitis adscripto parum fauet, eximium inuentum, structuram incolae testarum earundem patefaciens, in lucem edit, vnde iam constat, partis, alueoli nomine notae, basi substerni coronam tentaculorum gemino ordine praeditam. Pergit ill. Auctor ad penitius enucleandam belemnitae speciem, non quidem plane praeteruisam antea, quae tota longitudine dissepimento ad medietatem coni protenso diuiditur; radiatam belemnitarum medullam testae structurae tributurus Auctor affert exempla testarum extus lamellosarum, intus fibrosarum. Memorat et specimen silicei belemnitae nihilominus radiati. Circulos belemnitis aliisque testis extrinsecus inscriptos a serpulis adfixis nequaquam repetens, acutiori coniectura pertundentis vermium lithophagorum proboscidis vestigia celebrat. Petrefacta quaedam, quae plurimis lithologis crucem fixerunt, helicitarum, nummismalium, lenticularium nominibus donata, cochlitis adnumerari solita, milleporis satius accenseri, in hoc tum et sequente quarto fasciculo pluribus demonstrat Auctor, adnotato etiam discrimine genuinorum helicita-

licitarum polythalamiorum. Paucis quoque mentio fit petrefacti, vorticellam Boltenii referentis, marmoris libellam grandem exquisite adumbratam sistentis, aliusque silicei typolithi Osmundam regalem exhibentis. Echinitae nondum descripti exemplum adiicitur, cuius in vertice papilla occurrit, neutiquam pro ore vel ano habenda. Radii quoque echinorum rariores describuntur. Descriptae WALCHIO heritae desiderata icon exhibetur. Vltimo autem loco ammonitarum sipho pluribus argumentis impugnatur, ratione habita speciminum, quae nonnisi sinistra interpretatione adstruendo siphoni adhiberentur. Finem iam imponi operi tam diuiti memorabilibus inuentis atque dilucidationibus, Lithologos non minus quam Zoologos allicientibus, non possumus non dolere. Quam vellemus, nostra hac seria inuitatione ac hortatione adduci se patiatur Ill. Auctor ad continuandam tam vtilem tamque laudabilem operam.

XXX.

Observations sur le coucou, par Mr. A. I. LOTTINGER, à Paris 1775. 8.

i. e.

Obseruationes de cuculo, auctore A. I. LOTTINGER *).

Cl. Auctor hic propriis experimentis demonstrat, *Cuculum* in nidum aliarum auium oua sua deponere,

*) Prodiit etiam versio: *Der Kukuk, oder des Hrn.* A. I. LOTTINGERS, *M. D. auf eigene Erfahrungen gegründete Nachrichten, über die Naturgeschichte dieses Vogels, Aus dem Französischen übersezt. Straßburg, verlegts Amand König, Buchhändler.* 1776. 8. 80 *Seitt.* Cl. HERRMANNVS, historiae naturalis Professor Argentoratensis, obseruationes libro apposuit vtilissimas, quarum potiores nos suo loco commemorabimus.

ponere, ſimulque alias ſcitu dignas obſeruationes indicat.

p. 5. Negat Cl. Auctor cuculum iuniorem auem eam trucidare, cuius calore ex ouo excluſa et a qua nutrita educataque ſit, atque ab eo pullos illius auis, a qua excluditur, deuorari, cum cuculus alia oua ſemper ex eo nido, in quo ſua deponit, eiiciat.

p. 7. Cuculus e noſtris terris prius migrat, quam aliae aues; tempus migrationis autem certe definiri nequit. Ouum eius album eſt, punctatum, vti oua *Lanii Collurionis*. Neque vnquam plus, quam vnum ouum, in nido inuenit, etſi SALERNE duo oua in femella deprehendit. Cuculus, vti quoque *Tetrao Coturnix*, tempore venerei aeſtus in monogamia viuunt.

p. 10. Oua ſua ponit cuculus inprimis in nidum *Motacillae Hypolais*, *Trochili* et *Rubeculae*, ſic quoque,
p. 67. Cl° HERRMANN notante, in nidum *Alaudae*, *Motacillae albae*, *currucae*, *Fringillae coelibis*, quae omnes ſunt aues inſectiuorae, praeter alaudam, de qua etiamnum dubium eſt. Cauſſa, cur cuculus ipſe ouis ſuis non incubet, in ſtructura corporis, et praecipue in ſitu ventriculi poſita eſt, qui antrorſum ſupra reliqua viſcera abdominis et inteſtina reperitur; ideoque difficile et impoſſibile eſt hoc officium cuculo. Praeuiſum eſt igitur a creatore, ne ſpecies haec intereat, cum aliae aues eius oua excludant. Oſtendit Cl. Auctor plus quam viginti obſeruationibus, aues omnia alia oua, iis ſuppoſita, relinquere, atque ſolum *Cuculi* ouum excludere. *Turdo pilari*, *T. muſico*, *Emberizae Cirlo*, *Fringillis*, *Tringae*, *Loxiis*, aliisque talia oua ſuppoſuit, quae ouo cuculi fuerunt ſimilia; aliae tamen ea reliquerunt, aliae, vt *Strix Vlula*, ouum peregrinum ex nido deiecerunt, ſuisque incubuerunt; aliae ſtatim, aliae poſt aliquot dies fraudem ſenſerunt, vt *Motacilla Trochilus*.

Cucu-

Cuculum iuniorem in *Motaciliae rubeculae* et *Trochili* nido inuenit, viditque illum ab his nutriri insectis; cuculum matrem vero etiam probabiliter iunioris curam gerere, quoniam illam circa nidum, in quo iunior exclusus fuit, volitare, atque ad vocem illius respondere obseruauit.

XXXI.

Recepte und Kurarten, nebst theoretisch-praktischen Anmerkungen von D. ERNST ANTON NICOLAI, *Hofrath und Professor zu Jena, Jena bey Cröker*, 1780. 8. 3 *Alph.* 6 *Bogen.*

i. e.

Medicamentorum formulae et curandi methodi, cum obseruationibus theoretico-practicis.

Hoc libro Celeberrimus Auctor partim doctrinam de formulis medicis conscribendis, partim et *vsum* celebratissimarum medicinarum, inprimis compositarum, ex probatissimis auctoribus tradidit. Primum ea exponuntur, quae ad formulas medicas generatim pertinent, quibus praemissis transitus fit ad diuersas medicamentorum doses et ad varia alia, quae in formulis accidentalia sunt. Regulae in medicamentorum formulis praescribendis obseruandae, plurimaque incongruarum formularum exempla traduntur.

Nunc de formulis medicamentorum speciatim, p. 86.
et de variis medicamentorum formis agitur. De extractis vulgaribus vegetabilium, iisque, quae methodo Garayana parantur. De sapis, roob, conseruis, iulapiis, syrupis, balsamis, caet. De externis medicinis, balneis, et de balneorum terrenorum inprimis vsu. De balneis stillicidii ope agentibus,

 vapo-

vaporum balneis, ſudatoriis, eorumque vtilitate. De thermis, vaporariis, caet. De frigidorum balneorum vſu, curandíque morbos catarrhales methodo a Cl. DE MONETA laudata. De frigidorum balneorum in febribus acutis, exanthematicis, malignis, cephalalgia, inſania, articulorum infirmitate,
p. 237. articulorum a frigore laeſione vſu. Frigidorum epithematum ad capitis vulnera vſus vberius ex exemplis a SCHMVCKERO traditis illuſtratur. De apoplexia frigidis epithematibus capiti applicatis curanda. Aquae etiam frigidae externe adhibitae in eryſipelate, arthritide, podagra, caet. vſus traditur, modusque agendi aquae externe adhibitae explicatur.

p. 257. De *clyſmatum* variis ſpeciebus, et de iis, quae in clyſteribus applicandis obſeruanda ſunt. De emplaſtris, vnguentis, balſamis, ſuppoſitoriis, peſſariis vterinis, caet.

Nunc ad puluerum formas Cl. Auctor tranſit. De emeticis pulueribus, tartaro emetico, illius ad vomitum in infantibus concitandum vtilitate, antiſpaſmodica illius, reſoluente, diaphoretica et diuretica vi. Vſus illius in tuſſi, aſthmate conuulſiuo, caet. traditur. Num infantibus difficulter dentientibus tartarum emeticum exhibere conueniat. De tartari emetici in febribus intermittentibus et continuis, dyſenteria, bilioſis febribus, vſu. Num eum in apoplexia, capitis dolore, ſoporoſis affectibus, capitis, pectoris, oculorum et colli inflammationibus exhibere expediat. De tartari emetici in varioloſo morbo, in hydrope curando, in ictero, rheumaticis arthriticisque affectibus, amauroſi, coecitate, vteri haemorrhagia, vermibus, caet. vſu.

p. 339. De curationibus morborum per nauſeam excitatam tentatis; quantumque tartarus emeticus prae antimonii ſulphure valeat.

Ad

Ad ipecacuanham tranſitus eſt, generatimque illius viribus medicis traditis, vires illius ad febres ſpaſmosque, ad baemorrhagias cohibendas traduntur. De ipecacuanhae cum opio connubiis, et DOWERI puluere. Varia illius ſimul alia connubia, inprimis cum melle et rhabarbaro, traduntur. De variis fluidis formis, quibus ipecacuanha exhiberi ſolet. De violae odoratae radice et aſari radice paridisque quadrifoliae herbis ipecacuanhae ſubſtituendis. (quanquam Cl. viri COSTE et WILLEMOT aſari radicis emeticam vim plurimum laudauerint, nos tamen ex exemplis didicimus, eam eadem doſi exhibitam aut nullos, aut nimis vehementes effectus edidiſſe.) De HUXHAMI emetico vino et antimonii cerato vitro.

De antimonii aurato ſulphure et carthuſianorum puluere. Puluis PLVMMERI alterans. Sulphur antimonii auratum liquidum. p. 439.

De purgantibus pulueribus, Cornachini puluere, rhei, eiuſque tincturae extractique vſu. De puluere STORCHII polychreſto, magneſia, terris, terreis medicinis earumque vſu recte aeſtimando. Magneſiae ad vomitus intenſos ſedandos ſalutares effectus. p. 493.

De reſoluentibus et diaphoreticis pulueribus praeſcribendis, tartari cremore, pulueribus cinnabarinis, nitroſis, nitri in rheumatiſmis, ſanguinis profuſionibus, caet. vſu. p. 549.

Pulueres ex camphora. De camphorae effectu calefaciente, eiusque ad varios morbos, furorem, maniam, melancholiam, caet. vſu. De Vindobonenſium medicorum ex camphora medicinis, et camphorae vſu in morbis contagioſis, putridis, variolis, colico dolore, exanthematicis febribus, hypochondriaca, hyſterica paſſione, ſanguinis profuſione et in verminoſorum morbis. Camphorae variae for- p. 596.

 mae

mae connubiaque. Quantum camphora summe debilitatis conferat.

p. 684. De puluere ad arthritidem ducis de PORTLAND, puluere hypnotico *Kreilii*, aconiti puluere. De pulsatillae nigrescentis vsu. De diptami albi, florum zinci puluere, cupro ammoniaco pharmacopoeae Edinburgensis.

De digestiuis pulueribus, Quercetani stomachico puluere, pulueribus ex moscho, tunquinensi puluere, pulueribus ex antimonio, diureticis pulveribus, myrrhato saccharo FR. HOFFMANNI. De pulueribus ex sulphure, ad scabiem et ex mercurio pulueribus. De pulueribus, qui ex ferro parantur. De martis croco, ex guaiaci resina pulueribus et specifico antipodagrico Americano.

p. 840. Puluores ex ammoniaco sale plures describuntur. De corticis Peruuiani viribus et vsu ad gangraenam, putridas et intermittentes febres. De arsenici ad febres intermittentes, mammarum cancrum, caet. vsu. De pulueribus ex agarico muscario, medicinis ad taeniam, pulueribus variis contra caducum morbum, quassiae, salium mediorum pulveribus.

De pulueribus ad externum vsum.

p. 955. Tertia sectione de bolis, electuariis et pilulis agitur. De purgantibus pilulis, aliisque praescribendis.

p. 1028. Occasione pilularum de cicuta *Stoerkii*, de cicutae aliorumque venenorum, quae in medicina adhiberi solent, effectibus agitur. De pilulis ex marte, aliisque. De asae foetidae effectibus.

p. 1092. Quarta sectione morsulorum, trochiscorum, caet. compositio et praescribendi modus traditur.

Fluida medicamenta quinta sectione pertractantur. Purgantes, antifebriles potiones traduntur, simulque de celebrioribus quibusdam medicamentis,

tis, in fluida forma exhiberi ſolitis, agitur. De mercuriali *Plenkii* ſolutione, et de mercurio ſublimato corroſiuo cum aqua ſoluto plura traduntur. Ad operis finem index additus eſt.

XXXII.

Anweiſung für Aerzte und Wundärzte, um bey gerichtlichen Unterſuchungen vollſtändige viſa reperta zu liefern: und wie die Rechtsgelehrten wiſſen können, ob von Seiten der erſtern das gehörige beobachtet worden, von D. JOHANN PETER BRINCKMANN. *Düſſeldorf* 1781. 8. 84 *Seiten.*

i. e.

De iudiciis medico-forenſibus ex cadauerum violenta morte occiſorum legali inſpectione recte formandis et conſcribendis, auctore IO. PETR. BRINCKMANNO.

Quum in iudiciis medicis, inprimis in iis ex cadauerum inciſionibus ſaepius delinquatur, hocque modo vero reique accommodato iudicio ex vulneribus, num lethalia fuerint, ferendo plurimum impedimenti naſcatur, his pagellis Cl. Auctor medicis epitomen omnium, quae in talibus iudiciis obſeruanda ſunt, tradere voluit, ex qua et iurisconſulti facile perſpicere poſſent, quid ad tale iudicium requiratur, et in quo medicus aut chirurgus iudicii auctor errauerit.

Prima ſectione *regulae praecipuae generales* traduntur, in *iudiciis medicis formandis obſeruandae.* De medicis collegiis, phyſicisque, quibus inprimis haec cura demandata eſt. De phaenomenis praeſertim aut difficilibus explicatu, aut nullam plane explicationem permittentibus, medicum iudicare

non debere, nec de ſubtilioribus iſtis iurisconſultorum diſtinctionibus. Praeſtare ſemper in dubia re iudicium ſuſpendere, quam firmo nimis iudicio veritati obeſſe. Nulli, priusquam iudicium iudicibus traditum ſit, ea, quae in cadaueribus inuenta ſunt, iudiciumque ex iis communicanda eſſe.

Altera ſectione ea traduntur, quae in obductionibus et inquiſitionibus iudicialibus a medico obſeruanda ſunt. De vulnerum externo ſtatu, internisque mutationibus ab externis laeſionibus productis diligenter obſeruandis. De pure et ſanguinis effuſionibus inprimis in internis partibus collectis. De his, quae circa infantum recens editorum obductionem et inſpectionem legalem obſervanda ſunt. De iudicio medico ex veneno dato formando et de externis veneni dati ſignis caute aeſtimandis.

Tertia ſectione *de lethalitate vulnerum accuratius determinanda* agitur. Diuiſionem in vulnera abſolute, per ſe, et per accidens lethalia, quum firmo iudicio locum non det, abrogandam eſſe. Conſtitutionem corporum vulneratorum, varia in ipſa vulneratione incidentia, humorum indolem, ad degenerationem propenſionem, caet. inprimis bene aeſtimanda, vulnera autem ſic diuidenda eſſe, vt vulnera *abſolute lethalia*, talia nempe, de quorum ſanatione nullum plane exemplum proſtat, *taliaque* conſtituantur, *de quorum ſanatione parca quidem exempla proſtant, in quibus vero ad ſanationem ſemper maxime bona humorum indoles et organorum optima conſtitutio requiratur* (vtplurimum lethalia medici forenſes vocant).

XXXIII.

XXXIII.

Anzeige der Rettungsmittel bey Leblosen und in plötzliche Lebensgefahr Gerathenen, nach des Hrn. Leibarztes HENSLER *Plan ausgearbeitet, von D.* IO. CHRIST. FRIEDR. SCHERFF. *Altona bey J. H. S. Hellmann,* 1780. 8. 279 *Seiten.*

i. e.

Index remediorum in iis adhibendorum, quibus vita subito erepta visa est, ad ductum archiatri HENSLERI elaboratus, auctore IO. CHRISTIANO FRID. SCHERFF.

Quo potior hominum vita est, eo magis laudibus efferenda opera, quae in praesidiis huius et conseruandae et restituendae versatur. Id quod Cl. Auctori denegabit nemo, neque facile aliquid omisit, quod ad hanc rem pertinuisse videretur. Continetur ergo

Sect. I. *Indiculus vniuersalis remediorum.* Insunt potiora, quae in tali casu et infortunio vitae veluti sufflaminatae quidem, at vero reuocandae apta sunt, et satis, opinor, nota. Haec ex Cl. HENSLERO; quae sequuntur, propria sunt Cl°. SCHERFF. Quare in p. 1-46.

Sect. II, percensentur *Asphyctici,* et quidem p. 47 – 61.
1. *Recens nati infantes sine vitae signis.* Auctor ergo Noster est, vt vmbilici funiculus illico resecetur, aër infletur, pectus et scrobiculus cordis fricetur, plantae pedum quam maxime, aluus eluatur aqua et sale, sub colore oris liuido cochlear sanguinis mittatur ex funiculo, balneum tepidum ex aqua, vino vel spiritu vini fiat, et si debilitas magna vrget, potui detur paullulum vini dulcis. Sub finem iubet Cl. SCHERFF, ne cum matre mortua infans in vtero pereat, sed sectione extrahatur. (Nollemus tamen, vt ipsi visum est, hoc negotium per obstetrices rudes fieri.)

 2. *Infan-*

p. 61 – 65. 2. *Infantes ſuffocati* id requirunt, vt aër ſpirabilis per os reddatur, ſanguis mittatur, corpus fricetur, clyſter applicetur, ſpiritus volatiles naribus admoueantur, ſtertori opponatur emetica medicina.

p. 66 – 92. 3. *Vndis ſubmerſi.* Praeuio hortatu, ne remedia plebeia in ſubſidium vocentur, iubentur veſtibus exui, abſtergi linteo calido et ſicco, calore refici, fricari, aëre ſpirabili beari, aluo fumum nicotianae recipere, et ſi opus eſt, ſanguinem mittere.

p. 92 – 101. 4. *Frigore exanimes facti.* Debent niue vel ſtragulis aqua gelida madidis contegi, donec mobilitas et calor redeant, deinde in lectulum modice calidum reponi, calefieri, ſpiritu naribus admoto reuocari, aëre reſuſcitari, interdum ſanguine miſſo ab febre, ore tumido et liuido, peſſimisque ſymptomatis liberari.

p. 101 – 105. 5. *Caſu exanimes facti* poſtulant ſubitam ſanguinis miſſionem, aëris inſpirationem, alui lotionem, fomentationes capitis frigidas et balneum tepidum, et, ſi qua facta eſt ſubluxatio vertebrarum, repoſitionem.

p. 105 – 113. 6. *Laqueo irretiti* liberantur illico a vinculis, et in locum frigidum delati fricantur, ſpiritu refocillantur, aqua frigida adſperguntur, ſi adhuc calent, at vero ſi frigent, aërem inflare licet, ſanguinem mittere, fricare membra, aluum eluere, tandem balneum tepidum tentare, et aegrum reficere.

p. 113 – 136. 7. *Suffocati vapore graui et perniciali.* Ii, qui nondum omnem conſcientiam perdiderunt, reſipiſcunt in aëre frigido, adſperſione frigidae vel aceti, vel parua ſanguinis miſſione; ſin contra, in aërem liberum delati et veſtibus ſpoliati ſuperinfunduntur aquae frigidae ancoris, deinde ſanguis e vena iugulari ducitur, membra fricantur, nares ſpiritu volatili ſtimulantur, aluus frigida aqua eluitur. Cetera ſingulis caſibus aptanda ſunt, et hic perſpicue docentur.

8. *Ful-*

8. *Fulmine tacti*, frigida superaffusa, fricantur, spiritu inunguntur, sanguinis missione vel alui lotione frigida non posthabita, post dantur analeptica, imponuntur capiti fomenta gelida et vesicatoria. p. 136–147.

9. *Suffocati vapore putrido*, qualis intra cloacas latitat, exigunt fere eadem remedia, quae antecedenti numero dicta sunt. Sub finem adduntur praecepta haud proletaria, iisque proficua, qui intersunt *morbis contagiosis*. p. 148–158.

10. *Vera asphyxià detenti*. Ex hoc numero sunt feminae hystericae et hypochondriaci, epileptici, qui, frigida affusa, vena incisa, aëre in os et nares spirabili, clystere ac balneo tepido suscitantur, hisque subiiciuntur, qui in morbis acutis lipothymia vel syncope correpti iacent. p. 159–175.

In Sectione III. continentur ii, qui subito in vitae periculum incidunt, hucque referuntur a Nostro Auctore

1. *Venenis exstincti vel tentati*. Venena singula explicantur, quatenus acria et corrosiua sunt, v. c. arsenicum, mercurius sublimatus corrosiuus, flos aeris, et plantae quaedam, vel narcotica, vel acida rodentia, et semper adduntur antidota vsu comprobata. Aequa accuratione p. 176–218.

2. *Morsu animalium laesis* suadetur, quicquid proficuum vsus et experientia docuit. Idem sentiendum est p. 218–224.

3. *De suffocatis vel suffocationi proximis ab deglutitione rerum noxiarum*, quippe hic non absimiliter Cl. SCHERFF suasit, quae ab auctoribus clarissimis hinc inde consignata leguntur et vsu probata esse dicuntur. Quid denique faciendum sit p. 224–232.

4. *Apoplecticis*, vel etiam p. 233.

5. *Catarrho suffocante detentis*, item p. 238.

6. *Haemorrhagiis obnoxiis*, non lubet vberius repetere, quia fere in singulis compendiis memorantur. p. 248–256.

rantur. Eodem iure paucis addimus, Noſtrum etiam quaedam

p. 256. 7. *De ambuſtionibus*,

p. 258. 8. *De excretionum naturalium ſuppreſſionibus*,

p. 271. 9. *De doloribus*, et

p. 277–279. 10. *De ſpaſmis atque conuulſionibus* in medium attuliſſe, remediorum delectum ſubdidiſſe, nihilque intactum reliquiſſe, quod memoratu dignum vel factu opus eſſe videretur. Sed nota cuiuis medico ſilentio praeterimus, ne cramben bis coctam recoxiſſe perhibeamur.

De reliquo Cl. SCHERFF ſuo munere bene functus ſine dubio eſt, et ſi quid monendum vel redarguendum putes, hoc fere in eo conſiſtit, vt alicubi popularem orationem, breuitatem et concinnitatem deſideres, alicubi patrii ſermonis puritatem. Sed haec vitia abſterget, ni fallimur, noua editione.

XXXIV.

MARCI ANTONII PLENCIZ, Med. Vindobonenſis, tractatus de ſcarlatina olim cum aliis eiusdem operibus, modo vero ſeparatim et ab auctore ipſo nouis obſeruationibus auctus in lucem prodit. Vindob. typ. Ioh. Thom. Nob. de Trattnern 1780. 8. 225 pagg.

Noua, ſed haud aucta editio boni *de febre ſcarlatina* libri, in quo quae adiectae ſint nouae obſeruationes, vt in fronte legitur, non liquet: Nam eaedem numero inſunt verſioni germanicae. Id vnum iam legentibus datur, vt poſſint hunc tractatum facilius euoluere, atque hinc doctiores recedere.

XXXV.

XXXV.

Mémoire pour servir au traitement d'une fiévre épidémique, fait et imprimé par ordre du Gouvernement, par Mr. MARET, à Dijon 1775. in 8. pagg. 62.

i. e.

Tractatio de febre epidemica curanda.

Epidemica febris putridae indolis Galliae plures regiones quum annis 1760. 1761. aliisque clade afficeret dirissima, Cl. Auctori a TVRGOTTO aliisque regni proceribus mandatum est, vt morbum exacte describeret, methodumque medendi ei maxime accommodatam hoc modo traderet, vt et rerum medicarum parum gnari huic morbo aliquo modo mederi possent. Idque hoc libro hoc modo praestitit, vt generalioribus quibusdam praemissis in altera paginae columna morbi descriptionem, in altera vero curationem traderet, modo primo quidem intuitu facili, verum semper, quum peculiaria morbi symptomata peculiarem tractationem vtplurimum, rite cognita caussa, haud requirant, ambiguo, et homines in rebus medicis parum versatos dubios subinde de medicina eligenda reddente.

Omnes morbi epidemici ex Nostri sententia, aut inflammatorii, aut putridi sunt, epidemiarumque diuersitas ex horum characterum generalium varia complicatione pendet. Plurimi morbi epidemici in agris grassantes putridi sunt (inflammatorios morbos tamen ruricolis, ob constitutionis robur, quo vrbium incolae maxima ex parte sedentarii destituuntur, frequentiores putassem, quod et, in Germania saltim, experientia probat; morbi epidemici tamen non aut non mere inflammatorii longe frequentiores mere inflammatoriis vbique,

terris

terris forſan frigidioribus exceptis, obſeruantur.) Morborum epidemicorum ſpecies, quum a particulari aegrotorum diſpoſitione pendeant, infinitae ſunt, adeoque non opus eſt, vt quaeuis ſpeciali nomine inſigniatur, multis confuſionibus et perverſae ſubinde tractationi anſam praebente. Morbus, quem Noſter obſeruauit, duplex fuit, aut pu-
p. 9. tridus neruoſus, aut putridus catarrhalis. Nunc morbi putridi neruoſi hiſtoria ſequitur, eique medendi methodus adiecta. Morbi prima ſymptomata a materia praeternaturali in ventriculo collecta orta ſunt, virium videlicet iactura, nauſea, vagique horrores. Febris primis diebus tertianae ſimplicis aut duplicatae typum ſeruauit, poſtea vero ſemper continua, ex remittentium genere euaſit. Eam vehemens horror praeceſſit, eaque cum inſigni articulorum, renum, capitis dolore, dolorifica in ventriculi regione ſenſatione, nauſea, calore omnia ſymptomata augente coniuncta fuit. Pallida facies, oculi rubicundi lingua ſicca, rubra cutis calida ſiccaque, pulſus paruus, frequens, irregularis fuere.

Secunda febris periodus ab eo tempore fuit, quo febris continua facta eſt. In ea dolores ventriculi, capitis, nauſea, caet. perdurauerunt, facies profunde rubra, oculi rubri, lacrymantes, lingua ſicca, colore nigro praedita, muco virideſcente obducta, tremula, dentes ſqualidi, exſpiratio laborioſa, ſuſpirioſa, vrinae paucae, aurantii coloris, cutis ſicca, calidiſſima, pulſus parum frequens, inaequalis fuere. Haec periodus per quatuor dies durauit.

Tertiae periodi ſymptomata oculorum rubor, ſqualor, dentium nigredo, linguae rubor, ſiccitas, omnium internarum oris partium profundus rubor, aphtae, difficilis deglutitio, odoratus iactura, laborioſa vehementer reſpiratio, omnium excretionum mirus languor, dolor calcanei intenſus, ſopor, deli-

delirium, virium inſignis iactura, inſenſibilitas, exanthemata cutanea pulicum morſibus ſimilia, violacea ſubinde, cutis ſicca fuere. Ad finem huius periodi aluus copioſe nigra, flauaque deiecit, pulſus conuulſiuus et intermittens euaſit.

Quarta periodus intra nonum vſque ad decimum quartum diem incipit. Virium defectus pertinax, ſopor, delirium, auditus acer, facies liuida, oculi rubri, fixi, ſqualidi, lingua fauces palatumque ſicca, nigra, maxillae inferioris pertinax ſpaſmus, colli inflammatio, deglutitionis difficultas, ſtrepitus in pectore inter potandum, ſingultus, anima foetens, cadaueroſus totius corporis odor, ſudor pinguis, ventris inflatio, alui fluxus niger, foetidiſſimus, copioſiſſimus, aut ſanguinis ex inteſtinis aut ex naribus, aut aliis ex corporis locis profuſio, vrinae parca quantitas inuoluntarie profluens, dentium ſubſultus, conuulſiuus totius corporis rigor, pulſus irregularis, contractus, frequentiſſimus, parotides, bubones, ex quibus ſuppuratis ſalus aegris fuit, — mors; eius praecipua ſymptomata fuerunt. p. 28.

Altera ſectione morbi putridi catarrhalis deſcriptio traditur. Iam in neruoſo putrido morbo pectus vtplurimum laeſum fuit, ita tamen, vt aegri ſtupidum tantum eius dolorem ſentirent, et profunde ſpirarent: hoc morbo autem dolores vagi in pectore, reſpirationi magnam vim inferentes intentiores tuſſis frequens, ſicca, ſputa ſpumoſa, ſanguine remixta fuere. Morbus per ſputa mucoſa, craſſa, ex albo flaua, et per vrinam ſolutus eſt. p. 29.

Sanationem morbi quod attinet, medendi methodus a Cl. Auctore commendata euacuans primum, poſtea autem putredini aduerſa et neruis amica eſt, plura tamen in ea ſunt, experientiae Cl. virorum haud conſentanea. Sic plethoricis iisque, quibus plenus pulſus eſt, venaeſectionem commen-

dat, in his morbis TISSOTO, praeclare notante, aliisque plurimis, trifti, quem obferuarunt, euentu probantibus, maxime et femper paene damnofam. Sic tribus, aut ad fummum quatuor libris herbarum, hordeique decoctionis, ab aegris *per totum morbi decurfum potandae*, duas *butyri recentis* vncias adiicere iubet, quod idem paene eft, ac fi oleum igni addi iuffiffet; fic frigore febrili perdurante, a putrida maffa in primis viis haerente, producto bolum commendat, ex dimidia *theriacae* drachma, cum *viperarum puluere* confectum, fic ad ventris purgationem medicamentum fuadet, cui *ialappae radix* admixta eft. (haud impune, TISSOTO monente, aliisque, in putridarum febrium acceffibus alvus, et leuibus medicinis, fubinde ducitur, ob διαρ-ροιαν nullo modo cohibendam fubinde fubfequentem, et fi demum purgationes ex fortiter irritantibus medicinis ab aegris affumuntur, iuftus vtique metus eft, ne medici in prudentiam morte aegrotantes luant) Sic in altera morbi periodo, vbi putredo iam inualuit, ad vomitus citandos vinum emeticum HVXHAMI, incertam femper, et, *quod vidimus*, maxime noxiam fubinde medicinam, fi ab incautis incaute fumitur, cui tartarus emeticus longe praeferendus eft, fuadet; fic ad aphtas in ore praecauendas radicis altheae decoctionem (cortex praeftitiffet!) commendat; fic in tertia periodo morbi kermes minerale (quid hoc efficiet, in morbo iam putridiffimo, pectore vtplurimum parum affecto? Putredinem certe augebit) cum camphora, et liquiritiae fucco in bolum confecta *loco euacuantis medicinae*, quum alias omnes aegri non ferant, praefcribit.

Acida mineralia in morbo putridiffimo parciffima dofi, vt aqua iis modice acida reddatur, et tunc tantum, fi calor vehemens nimiique fanguinis motus

tus metus eſt, commendat, Peruuianumque corticem ad tertiae denique periodi finem, „*eo in caſu*, p. 18.
„*vbi extrema virium deiectio, ſenſibilitas, aut inſenſi-*
„*bilitas ſumma, neceſſariam virium erectionem indi-*
„*cant, et ad putredinem inhibendam*, tam parca doſi commendat, vt certe parum praeſidii a diuino hoc medicamento exſpectari poſſit. Loco corticis Peruuiani et camphoram, cum vitello oui (!) ſolutam, theriaca adiecta (!) ſuadet.

In quarta periodo, putredine ſumma exſiſtente, veſicatoria *multiplicanda* ſuadet, (ad putredinem augendam, ſine dubio; multiplicata enim veſicatoria eam certe non arcent, non corrigunt) multaque alia eiusdem farinae commendat, nulli prorſus indicationi ſatisfacientia, et putredinem, morbum, vitaeque periculum ex morbo augentia.

Legentibus nobis morbi deſcriptionem bene et dilucide elaboratam, et de bono libro, in vulgi vſum conſcripto, laetis, bilem mouit incerta illa, inconcinna, inefficax, et ex magna parte non ad cohibendum morbum, non ad vitam ciuium ſeruandam, ſed ad augendum morbum apta, immo aptiſſima methodus, quam *regiminis iuſſu*, ad ciues ſeruandos, vtque et inexperti rerum medicarum, ſibi ipſis medicinam contra hunc morbum facere poſſint, vt *indocti diſcant, et periti meminiſſe ament*, in publicam lucem emiſſam ab Auctore, ceteroquin Clariſſimo, vehementer dolemus.

XXXVI.

Mémoire ſur l' uſage où l' on eſt d' enterrer les morts dans les egliſes et dans l' enceinte des villes, par Mr. MARET, à Dijon 1773. in 8. pagg. 67.

i. e.

De conſuetudine mortuos in templis et intra vrbium moenia ſepeliendi, auctore Cl° MARET.

Mortuos in templis et intra vrbium moenia humandi consuetudo quum in Gallia nondum exoleuerit, imo magis magisque inualescat, Noster damna huius consuetudinis ratione primum hoc modo probare annisus est, vt ignem centralem in terra esse, eum in corporibus terrae mandatis effervescentiam et fermentationem accendere, huiusque effluuia in aërem efferri, hominibusque in eo viventibus pro varia illius qualitate, motu, cet. communicari asserat.

Animalium autem mortuorum effluuia copiose in aërem elata morbis plurimis, dirissimis, maxime contagiosis, pestilentialibus ansam dedisse, Noster ex exemplis plurimis probat, posteaque morborum plurimorum et mortium adeo exempla plura affert, ex sepultura humanorum cadauerum in templis ortorum.

p. 22. In templis autem plura conferunt ad periculum viuentium ex sepultis in iis augendum, caueae non satis profundae, vt earum aëri omnis cum externo aëre communicatio prohibeatur, frequens sepulcrorum, inprimis eorum, quae familiis quibusdam propria sunt, apertura, aër templorum humidus, iners, parum motus, ipsaque adeo templorum structura, aëri inprimis septentrionali omnem aditum prohibens, portarum angustia, caet.

Ex hac forsan aëris pessime infecti inhalatione morbi maligni putridi pendent, magnarum inprimi vrbium incolis maximas clades inferentes, quod et ipse Cl. Auctor ex exemplis pluribus probat, lectu dignissimis.

p. 39. Historia demum consuetudinis mortuos in templis sepeliendi traditur, et ex effatis S. Patrum, conciliorum actis, et ex legibus eum in finem latis manifeste probatur, in coemeteriis tantum humana cadauera humata priscis temporibus, et nostris hu-

manda

manda esse. Ingens quoque, immo summum periculum ex apertura sepulcrorum est, in quibus cadauera putredine nondum consumta continentur: quumque hoc saepius accidere solet, de tempore Noster quaerit, ad humanum cadauer penitus per putredinem destruendum necessario. Id tempus duos annos excedere asserit, nos vero in frigidiori Germanorum coelo saepius obseruauimus, vix decem annos ad plenariam carnium destructionem sufficere, inprimis vbi solum, cui cadauera mandantur, aquosum valde est, in quo carnes subinde, vt nos pariter vidimus, per XV annos durant. Hinc sapienti admodum lege in quibusdam Romani imperii ditionibus cautum est, ne sepulcra ante decimum, aut saltim octauum annum iterum aperiantur.

Tandem de coemeteriorum intra vrbium moenia noxis agitur.

XXXVII.

Mémoire sur les moyens à employer pour s'opposer aux ravages de la variole, addressé à ses concitoyens par Mr. MARET, à Paris 1780. 8. 158. pagg.

i. e.

De his, quae ad variolarum cladem auerruncandam proficua sunt.

Primum de physicis adminiculis ad variolosi veneni susceptionem praecauendam Noster loquitur, de sanguinis ex funiculo vmbilicali expressione, quam inutilem putat, et de celebratissimis remediis a BOERHAAVIO aliisque ad hunc finem excogitatis.

Variolas Arabum temporibus primum apparuisse Cl. Viro dubium videtur, quum partim in Graecorum monumentis, partim et in historiogra- p. 10.

phorum Gallorum antiquiſſimis operibus loca proſtent, in quibus de variolis ſermo eſſe videtur. Neque, quamuis contagioſus morbus ſit, ex ſolo contagio naſcitur, verum et ab aliis cauſſis accenditur, aëris ſingulari qualitate caet. et vt contagium propagetur, aliarum cauſſarum concurſus ſemper neceſſarius eſt. Nec in omni ſuo decurſu varioloſi morbi eo affecta corpora varioloſa miaſmata exhalant, ſed ſuppurationis tantum exanthematum tempore; attamen contagium et hoc tempore, quo nulla varioloſa effluuia e corpore manant, in alios propagatur. Nec ſemper, quamuis exempla proſtent, varioloſum contagium immediate agit, ſed et mediate ſaepius, corporibus per aërem infectum communicatum. Plurima ſimul de modo, quo morbida miaſmata in aërem efferuntur, in eo diſſipantur, caet. et de aëris qualitatibus, contagiis morbidis propagandis maxime opportunis, proponuntur.

Phyſice itaque variolarum exſtirpatio vix poſſibilis eſt, nec moralis illius poſſibilitas maior eſt. Exempla enim, quae in exſtirpationis fauorem adducuntur, ignis St. Antonii, leprae, caet. nihil probant, et peſtis etiam longe alia, quam variolarum,
p. 55. ratio eſt. Quum autem viae, per quas varioloſum miaſma aliis communicari ſolet, tam variae ſint, iam ex hac varietate intelligi poteſt, quam difficulter homines ab eo poſſint praeſeruari. Sanorum autem praeſeruatio in eo conſiſtit, vt omnis eorum cum aegris communicatio caueatur, vt omnia, quae ab aegris aut contacta, aut alia varioloſi veneni communicatione foedata ſunt, diligenter purgentur, libero aëri per longum tempus exponantur, vt linteorum inprimis, per quae facillima communicatio eſt, diligentiſſima purgatio inſtituatur. Quae autem omnia vt diligentiſſime ab omnibus obſeruentur, noſocomia pro varioloſis inſtruenda ſunt, in

in quae omnes variolis affecti inferendi sunt, et quum variolosus morbus contagiosus tantum euadat, variolosis exanthematibus suppurantibus, sat temporis restat, vt omnis cura ad contagium aliorum praecauendum adhiberi possit.

Verum et haec parum valent, quum nosocomia vix hoc modo instrui possint, vt omnes hoc morbo affectos, saeuiente eius epidemia, capiant; nec facile varioloso morbo affectae regionis omnis communicatio cum aliis caueri potest. Si omnes, qui terris in hoc orbe praesunt, communem operam ad hunc morbum arcendum impenderent, illius perfecta exstirpatio merito exspectari posset.

In hac insigni omnium difficultate, quae ad variolosi veneni exstirpationem tentari possunt, omnis hominum cura in eo versata est, vt mitior morbus redderetur, vtque hoc tantum tempore homines inuaderet, quo maxime salutaris eius exitus exspectari possit. Quem in finem variolosi veneni artificialis communicatio inuenta est, eiusque duplex modus, per *cohabitationem*, quo arctiori commercio cum aegris sani varioloso miasmate inficiuntur, et per *insitionem* excogitatus est.

Insitionis commoda exoptatissimique successus nunc vlterius et prolixe, ad eius aduersarios coarguendos, recensentur. Haec autem iam ex TISSOTI aliorumque libris plurimis ad insitionem variolarum commendandam conscriptis nota sunt.

XXXVIII.

De sensibilitate ossium morbosa, consensu Exper. Fac. medicae, praeside ADOLPHO MVRRAY, M. D. anat. et chirurg. Prof. R. et Ord. Acad. reg. scient. Holm. soc. scient. Vpsal. Acad. Basil. Florent. Botan. et Georg. vt et Sienens. et Berol. N. C. membr. in audit. inst.

 mai.

mai. d. 6. maii 1780. horis ant. et pomerid. ſolitis, pro gradu doctoris diſputauit LAVRENTIVS BRANDELIVS, philoſ. Magiſt. V. Gothus. Vpſaliae, apud Ioh. Edman, direct. et reg. acad. typogr. 4. pagg. 26.

Primo quaedam de ſenſibilitate in genere proponuntur, doceturque, quantum diſcrimen poſitum ſit inter ſtatum ſanum et morboſum partium, in quibus eadem diſquiritur, idque inprimis mutatione telae celluloſae morboſa declaratur, ſi eadem
p. 6. acri ſucco turgeſcit, neruosque in vicinia v. c. partium ligamentoſarum diſperſos vel nudiores reddit, vel arctius alligat, vel ipſa ſubſtantia morboſa quaſi velat et includit; neque improbabile videtur, ipſam telam celluloſam, fibrillas tenuiores nerueas in faſciculos colligentem, ſimili modo turgeſcere atque indurari poſſe, quod probat exemplum nerui poſt iſchiadem neruoſam triplo craſſioris a Cl. Auctore inuenti. Ex qua mutatione telae celluloſae etiam argumenta Cl[i] MECKEL ad demonſtrandam ipſius ſenſibilitatem refutantur. Tum propius
p. 10. accedens ad praefixum ſcopum diſquirit Cl. Auctor, an oſſibus nerui dati ſint? Horum indagationem omnino difficilem reddit mutatio continuatorum nerueorum filamentorum in adeo ſubtilem formam, vt nec oculis, nec tactui vlterius bene pateant: ex quo itidem patet, ſaepe telae cellulari, perioſteo et pericranio adſcriptam eſſe ſentiendi vim, quae a reticulis nerueis, illis ſupertextis, proficiſcitur. Sunt tamen vere exempla, in quibus
p. 11. neruos ad canaliculos oſſium deducere datur, vaſa ibi ingredientia comitantes; in oſſibus cranii in tuberculo occipitali nonnulla filamenta neruorum ceruicalium arterias ad ipſam oſſium ſubſtantiam ſequuntur, quod melius omnino in humero, femore,

re, tibia et calcaneo patet. An vero neruuli isti omnes ad medullam tendant, an partim in ossium fibris ipsis dispescantur, vix definiri potest. Sensibilitatem medullae declarant experimenta instituta, et morbi eandem aggredientes, inque ea prius sensus dolorum, quam ipsa substantia ossis partiumque, quibus tegitur, mutationem passa sit. Ossa vero ipsa, licet in statu sano nerui in iis forte praesentes ita comprimantur, vt sensu non possint non carere, tamen compage hac densa variis morbis soluta, sensibilitatem omnino acquirunt, quod quidem exemplum illustrat, Cl° MVRRAY Lugduni Galliae visum, in femina carie ossis parietalis laborante, quam butyro antimonii lacte diluto tollere volebat Cl. CARET, chirurgus nosocomii primarius, quod remedium ob acerbissimos dolores et conuulsiones, quas excitabat, adhiberi non poterat; quare trepano totam corruptam ossis partem abscindere tentabat, sed hoc auxilium dolores, conuulsiones, animi deliquium producebat, et licet demum particula destructa repetita trepani applicatione ab osse sano separaretur, eadem tamen cum dura matre cohaerens et mediante excrescentia fungosa coniuncta deprehendebatur, locusque affectus vel leuissime tactus intensissime dolebat. Quis huius morbi exitus fuerit, non constitit: foramina enim trepano facta bene consolidata sunt, sed caries fungosa diutissime perstitit, donec tandem sine praegressa exfoliatione sensim cute obduci videretur, doloribus interim capitis, vt iam antea, priusquam locus affectus denudatus fuisset, factum erat, redeuntibus, quibus aegra caruerat, quamdiu vlcus apertum fuerat. Ast non in omni quidem carie ossium sensus iisdem inest, sed in quibusdam tamen eius speciebus certissime, praecipue in scorbutica, venerea et cancrosa: dolent etiam granula carnea vel papillulae ex superficie

p. 17.

p. 20.

perficie oſſium denudatorum, vel ſub fruſtulis carioſis et ex rimis corroſorum oſſium eſſloreſcentes, neque ex contextu celluloſo et perioſteo os cingente, ſed ex ipſa ſtructura oſſium prouenientes, atque ſucceſſu temporis in os ipſae tranſmutandae.
p. 22. Sentire porro oſſa emollita, docet dolor ſub ipſius huius morbi principium praeſens. Huc referatur dolor oſteocopus venereorum tophorum comes, qui eos ab exoſtoſibus benignis, ſaepe multo maioribus, at ſenſu carentibus, diſtinguit. Cur vero ſubtiliores nerui, in ſubſtantia oſſis diſperſi, ſenſus facultatem a comprimente textura oſſium non penitus perdant, ſed remota hac cauſſa, recuperent, et tunc quidem maiori in gradu oſtendant, quam a minutis adeo fibrillis exſpectari poſſet? vix definiri
p. 24. adhuc poterit, licet phaenomena in aliis morbis oſtendant, in partibus inflammatis diuque irritatis ſenſibilitatem neruorum augeri. Suſpicatur inde
p. 25. Cl. Auctor, neruulos iſtos ab acredine quadam laceſſitos demumque corroſos in fungulos quaſi excreſcere adeoque ſuperficiem maiorem acquirere poſſe, quae ideo maioris ſenſibilitatis capax fiat.

XXXIX.

Indicis in SWIETENII commentariorum tomos quinque ſupplementum, continens res notatu maxime dignas in commentariis reperiundas, realis indicis vices ſupplens et obſeruationes indicans, in proprios vſus confectum, nunc vero publici iuris factum a IOANNE ADOLPHO GLADBACHIO, M. D. Sereniſſ. Principis Anhaltino-Serueſtani a conſiliis aulicis, aulae medico et phyſico, vt aiunt, forenſi, L. Bat. apud I. et H. Verbeeck et I. Douzy, bibliopolas, 1776. 4. pagg. 231. praeter praefationem et catalogum librorum.

Mira-

Miraberis fortaſſe, dicit Noſter, apparitionem huius ſupplementi, eamque ſuperfluam iudicabis, cum index iam locupletiſſimus tomo horum commentariorum quinto *) annexus ſit. Sed compares quaeſo eum meo cum ſupplemento, videbis priorem ab vltimo differre. Ille enim res in omnibus quinque tomis reperiundas breuiſſime recenſet, hoc fuſius illas explanat. Praeterea adnotauit Noſter obſeruationes, ad probandas rationes a SWIETENIO maximo iudicio poſitae, in hoc ſuo ſupplemento, quod in indice priori non factum eſt. Grates itaque profecto Cl° GLADBACH ſunt habendae pro magna ſolertia atque accuratione, quibuscum hunc vtilem indicem ſuum effecit.

XL.

Table alphabetique raiſonnée des trente premiers volumes du Journal de Médécine, redigée par ANDRE' MARIVS LALLEMENT, Docteur en médecine de l'Univerſité de Montpellier, Médecin - Conſeiller du Roi des villes d'Epernay et Chatillon ſur - Marne, à Paris, chez Vincent, imprimeur libraire rue des Maturins, hôtel de Clugny. MDCCLXXIV. 8. pagg. 518. praeter praefationem.

i. e.

Index alphabeticus rerum, quae in triginta prioribus voluminibus diarii: *Journal de Médecine* cet. continentur, auctore A. M. LALLEMENT.

Celeberrimo quondam B. VANDERMONDE **) mortuo, qui hoc diarium medicum Franco-Gallica lingua conſcriptum ab initio rexit, quod

 quidem

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 72.
**) vid. ib. Vol. IX. p. 169.

quidem integrum in his commentariis *) eſt indicatum, AVGVSTINVS ROUX **), etiam e viuis ereptus, eius continuationem in ſe ſuſcepit. Cuius quidem morte ſubſequente Cll[i] Viri DUMANGIN et BACCHER ***) huius operis periodici curam hactenus gerunt. Index itaque, quem hic indicamus, attinet triginta priora volumina huius diarii, quem Cl. LALLEMENT cum viris eruditis hic communicat. Ac primum quidem complectitur breuem deſcriptionem ſinguli tractatus, dein librorum, quorum breuem recenſum hoc diarium complectitur, notam per aſteriſcum dedit.

Finit hunc indicem catalogus medicorum, chirurgorum, pharmaceutarum, aliorumque, qui ſuas huic diario inſeruerunt obſeruationes.

XLI.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1777 prodierunt.

Medicíniſche Commentarien von einer Geſellſchaft der Aerzte zu Edinburg, 3ter Theil, 3tes und 4tes Stück. Altenburg. 8.

Der Naturforſcher, 11tes Stück. (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 640.)

Phyſikaliſche Bibliothek oder Nachricht von den neueſten Büchern, die in die Naturkunde einſchlagen, 4ter Band, Göttingen. 8.

Lehrbegriff ſämmtlicher ökonomiſcher und Kameralwiſſenſchaften, 3ter Band, Mannheim. 8.

Nützlicher und getreuer Unterricht für den Land- und Bauersmann auf das Jahr 1777, oder fortgeſetzter

*) vid. comm. noſtr. Vol. VI. p. 451. vbi primus tomus indicatus eſt, reliqui in ſubſequentibus horum commentariorum voluminibus.

**) vid. ibid. Vol. XXIV. p. 366.

***) vid. ibid. Vol. XXII. p. 724.

ſetzter allgemeiner landwirthſchaftlicher Kalender. Achter Jahrgang, Stutgard. 4.

Der patriotiſche Landbader, oder kurze Abhandlung von den verderblichen Früchten der Wolluſt und Geilheit, ſammt der beſten Curart der veneriſchen Krankheit unter dem Landvolke, München. 8.

Inſtruccion etc. *d. i. Anweiſung, wie man den Ertrunkenen und Erſtickten zu Hülfe kommen müßte, auf Befehl des königl. Hoſpitals zu Saragoſſa, Madrid.* 8.

Abhandlung von der wahren Urſache der Krankheiten und der ſicherſten Art, ſie durch ein einziges Mittel zu heilen, von JOH. CASP. VON AILHAUD. *Aus dem Franzöſiſchen überſezt, Strasb.* 8.

STANH. BARNES diſſ. de hypochondriaſi. Edinb. 4.

CONRAD. BELLY diſſ. ſiſtens phyſiologiam plantarum, ib. 4.

Om Chemiens nyaſte framſteg, af TORB. BERGMAN, Stokh. 8 mai.

Penſieri intorno a vari ſoggetti di medicina fiſica e chirurgica, e di ſtoria naturale; tre diſſertazioni dell Dottore FRANCESCO BERLINGHIERI, in Lucca. 8.

I. A. BRAMBILLA *zwo Abhandlungen über den nützlichen und ſchädlichen Gebrauch des Oxicrats und der trockenen Karpey in der Wundarzney. Aus dem Italieniſchen. Wien.* 8.

A. BRVCHHAVSEN inſtitutionum phyſicae Pars altera, Monaſter. 8.

C. F. BVTZOW de iis, quae homines contagio peſtilentiali magis obnoxios faciunt, L. B. 4.

DAV. CAMPBELL diſſ. de muſices effectu in doloribus leniendis aut fugandis, Edinb. 4.

Monument élevé à la gloire de Pierre le Grand, ou relation des travaux & des moyens mechaniques, qui ont été employés pour tranſporter, à Pe-

à Petersbourg un Rocher de trois millions pesant, destiné à servir de base à la statue équestre de cet Empereur; avec un examen physique & chymique du même rocher. Par le Comte MARIN CARBURI DE CEFFALONIE &c. Paris. fol.

FR. CLAXTON de haemorrhoide, Edinb. 4.

Anhang zu D. DANIELS *medicinischen Gutachten beygefügter Abhandlung von einer siebenmonatlichen Misgeburt, welche die Beantwortung der Göttingischen Recension enthält, von D.* DANIEL, *Leipzig.* 8. (v. comm. nostr. Vol. XXIII. p. 480.)

IOS. DANZENS *Entwurf einer theoretisch-praktischen Naturlehre, Augsb.* 8. *m. K.*

Anleitung zu der Bergbaukunst nach ihrer Theorie und Ausübung, nebst einer Abhandlung von den Grundsätzen der Bergkameralwissenschaften für die kaiserl. königl. Schemnitzer Bergakademie von E. T. DELIVS, *Wien.* 4. (vid. comm. dec. III. Suppl. II. p. 318.)

Verzeichniß und Beschreibung der sämmtlichen in den Fürstlich Oranien-Nassauischen Landen wildwachsenden Gewächse, von C. H. DÖRRIEN, *Herborn.* 8.

C. F. ENKE super quodam IO. BODINI loco de medicorum dignitate. Lips. 4.

FRANC. XAV. EPP *Abhandlung von dem Magnetismus der natürlichen Elektricität, Leipz.* 8.

VON FISCHER *Abhandlung von dem hohen Alter des Menschen, Stufen, Krankheiten desselben und den Mitteln zu demselben zu gelangen. Aus dem Lateinischen von* T. T. WEICHARD. *Leipz.* 8. (Hic liber in Germanicum sermonem etiam anno 1762 est translatus et Halae prodiit in forma octaua. Latinum librum v. comm. nostr. Vol. V. p. 142.)

Praktische Pferdearzneikunst, oder der durch lange Erfahrung sicher kurirende Pferdearzt, von I. A. GAAB, *herausgegeben von* G. L. FLEISCHER, *Leipz.* 8.

Formulae medicamentorum selectae; or prescriptions

ptions of the moſt eminent Phyſicians for various diſeaſes, by EDWARD FOK, London. 4. (*Liber nullius pretii.*)

CHR. WILH. GESNER de generatione puris, Ienae. 4.

An experimental ſyſtem of metallurgie with general remarks and explanations. By I. H. LAMPE, Lond. fol.

IO. HEYSHAM diſſ. de rabie canina, Edinb. 4.

Unterricht von dem Kollegium der Aerzte in Münſter, wie der Unterthan bey allerhand ihm zuſtoßenden Krankheiten die ſicherſten Wege und die beſten Mittel treffen kann, ſeine verlorne Geſundheit wieder zu erhalten, nebſt den münſteriſchen und Medicinalgeſetzen entworfen, durch E. L. HOFMANN, *Münſter.* 8.

I. A. KRETZSCHMAR *Vergleichung der drey gewöhnlichen Thermometer, des Fahrenheitiſchen, Delileſchen und Reaumuriſchen, ſowohl durch Rechnung als Verzeichnung, Leipzig.* 8. (Addita eſt tabula, quae haec tria thermometra FAHRENHEIT, REAUMUR et DE L'ISLE, eorumque comparationem ſiſtit)

EDM. LAYCOCK de ſpiritu ſeu de aëre in cauum thoracem recepto et inde eiecto, Edinb. 4.

ALEXANDR. L'ENAN de morborum ſeminiis, Edinb. 4.

H. P. LEVELING diſſ. de pyloro carcinomatoſo. Reſp. *Io. Nep. Kollmann*, Ingolſtad. 4.

ER. GVSTAV LIDBEEK diſſ. de moro alba. Reſp. *I. H. Engelhart*, Lund. 4.

IAC. MACKNIGHT diſſ. de variola, Edinb. 4.

ANDR. MEASE diſſ. de cynanche tracheali, ib. 4.

FR. ANT. MEIER diſſ. de partu difficili et laborioſo ob anguſtam nimis et deprauatam peluim. Argentor. 4.

IAC. MELLIAR diſſ. de aſthmate ſpaſmodico. Edinb. 4.

ELL.

ELL. BVTT. METFORD diſſ. de cholera, ib. 4.

I. D. METZGERS *Grundriß der Phyſiologie zu Vorleſungen beſtimmt*, *Königsb.* 8.

Enumeratio plantarum indigenarum Haſſiae, praeſertim inferioris, ſecundum methodum ſexualem diſpoſitarum a CONRAD. MOENCH. Pars I. Caſſellis. 8.

IAC. MVRRAY diſſ. de phthiſi pulmonali, Edinb. 4.

A general hiſtory of Stirlingſhire with the natural hiſtory of the ſhire by WILL. NIMMO. Lond. 8.

NIKOLAS *Handbuch für angehende Wundärzte, welches alle anatomiſche, phyſiologiſche, praktiſche Gründe zur Bildung rechtſchaffener Wundärzte erklärt etc. 1ſter und 2ter Th. Augsb.* 8.

C. A. PAVL diſſ. de ancyloſi, Argentorat. 4.

IO. AD. POLLICHII hiſtoria plantarum in Palatinatu Electorali ſponte creſcentium incepta, ſecundum ſyſtema ſexuale digeſta, Tomus tertius et vltimus, Manheimii. 8.

Etwas für Liebhaberinnen der Reuterey von I. G. PRIZELIVS, *Leipzig.* 8.

IO. MATTH. DE ROEHR diſſ. de boracis et ſalis ſedatiui origine et vſu, experimentis illuſtrato. Groning. 4.

EBERH. ROSENBLAD diſſ. de fetus per pedes eductione. Reſp. * * KRAAK, Londin. Gothor. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. ſiſtens caſum paedarthrocaces. Reſp. *Caſp. Trendelenburg*, ib. 4.

C. G. RVDOLSTAEDTER diſſ. ſiſtens nonnullos morbos ex abundantia ſanguinis oriundos, Helmſtad. 4.

L. P. SCHROETER diſſ. inaug. deſcriptionem anatomicam duorum vitulorum bicipitum et coniecturas de cauſis monſtrorum exhibens. Reſp. et Auctore *B. C. Fauſt*, Rintel. 4.

C. F. SCHVBERT de ſero lactis recte praeparando, Lipſ. 4.

IO. SCHWAB lapides in ordinem ſyſtematicum digeſti. Reſp. *I. Nicol. de Stenzel*, Heidelb. 4.

L. C. SEGER diſſ. de febribus intermittentibus ſub finem aeſtatis loco dyſenteriae graſſantibus, Helmſtad. 4.

IO. SHORE diſſ. de fluore albo, Edinb. 4.

G. F. SIEGWART diſſ. ſiſtens arthritidis rationem et curationem ſingulari caſu illuſtratam. Reſp. *C. F. Schäffler*, Tubing. 4.

I. R. SPIELMANN diſſ. ſiſtens hiſtoriae aëris factitii partem medicam. Reſp. et Auctore *Io. Fr. Corvino*, Argentorat. 4.

P. N. SPRENGELS *Handwerke und Künſte in Tabellen, mit Kupfern. Fortgeſezt von* O. E. HARTWIG. *Funfzehnte Sammlung*, *Berlin*. 8.

TH. RVDD STEVART diſſ. de apoplexia, Edinb. 4.

DAV. STVART diſſ de mania, ib. 4.

C. H. WILKENS diſſ. de calculis biliariis, Argentorat. 4.

CLIFT WINTRINGHAM'S experimental enquiry on ſome parts of the animal ſtructure. ſecond edit. Lond. 8.

IOS. WISMER diſſ. de conſuetudinis effectu in corpus humanum, Vindobon. 8.

HENR. WOOLCOMBE diſſ. de hyſteria. Edinb. 4.

WÜRTZ de affinitatibus virtutum medicamentorum (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 252.)

Contenta

Contenta in hac parte.